VARIOLAS,
ac inprimis
EPIDEMIAS MALIGNAS, VERMINOSAS,
Erudito Orbi detexit, Variis Argumentis & Obſervationibus Curioſis ſuperſtruxit,
inſimulque Totam
EMBRYOLOGIAM
ſeu
DOCTRINAM FŒTUS IN UTERO,
Compendioſè demonſtravit

SIEGM. AUGUSTUS PFEIFFER,
Med. D. ac Prof. Publicus, S. Reg. Maj. BORUSSICÆ Medicus Provincialis per Pomeraniam Citeriorem

---

SEDINI,
Apud JOHANNEM KUNCKELIUM,
Lit. Herm. Godofr. Effenbahrtii, Nob. & Ampl. Senat. Typogr. M DCC XIX.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

ILLVSTRI AC GENEROSISSIMO DOMINO,

DNO. AREND CHRISTOPH. de BREDAW,

Equiti Marchico,

CAPITANEO REGIO BORUSSICO.

DOMINO, MÆCENATI AC EVERGETÆ SUO

Summâ cum Reverentiâ Colendissimo,

Necnon,

VIRO

PRÆCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO atque CLARISSIMO,

DOMINO

JOH. HEINRICO â BOBBART,

In Illustri Gymnasio Carolino Regio, Eloquentiæ & Historiarum Professori Publico & ConRectori.

COLLEGÆ, FAUTORI ET AMICO SUO

Integerrimo,

PAGELLAS HASCE MEDICO-PHYSICAS

Eâ, quâ par eſt, Animi Submiſſione & Devotione

Dat, Dicat, Conſecrat,

AUTOR.



Uum, TUO etiam Judiciô, ILLUSTRIS ac GENEROSISSIME DOMINE, perennaturæ Gloriæ, quâ Augustissimus olim Romanorum Primus Imperator, JULIUS CÆSAR, præluxit, Pars haud extrema fuerit, quod ARMIS LITERAS miscuerit, nec Manu tantum Fortis, sed Studiis etiam Clarus, egregium illud *S*ymbolum: ET ARTE, ET MARTE, sibi elegerit, semperque in Ore habuerit; Audaciæ forsan meæ veniam abs TE consequar, quod Negotia TUA Bellica anserinô Rerum Medicarum sibilô interstrepam; dum & ARTE & MARTE, IPSE inclarescis atque Literarum simul ac BELLI studiosissimus, alterna amas, indeque rarô admodum Exemplô, Ex UTRÔQUE, Laudem aucuparis; meque sæpius, immo omnes, qui TE nôrunt, in Virtutum TUARUM admirationem & Stuporem rapu-

rapuisti. Elucet præ cæteris (ut paucas modò, sed, quod DEUM testor, sine fucô attingam) in TE eximiè, PIETAS, quâ partim DEUM &, quæ Divina sunt, sanctâ quâdam ac illibatâ DEVOTIONE colis, partim præclarâ CONSCIENTIA undique sustentaris, partim tam judiciose & concinnè de Rebus Theologicis disseris, ut Ætatem TUAM in hôc Studiorum Genere egisse videaris; unde non unâ vice multô cum Fructu circa Res Sacras ex Ore Tuô me pependisse, publicè profiteor. Comes Huic est, RELIGIO, tam intimo Amoris sensu sese Domino Suo & Patriæ Patri Clementissimo, MAGNO BORUSSORUM REGI, obstringens, ut Vitam malles millies, quam Fidem semel amittere. Excipit Eam, FORTITUDO, quâ Duce, Serenissimorum Ducum LUNÆBURGENSIUM, ac Potentissimi DANORUM Regis Castra olim cum Gloriâ sequutus es & adhuc sub Armis

BORUSSICIS REGIIS, Laudabiliter desudas. Et, quid dicam de GENEROSITATE? Ea enim, innata quasi & Illustrissimæ TUÆ FAMILIÆ, TIBIque inde Familiaris & indissolubili nexu juncta est; adeò ut attonitus obstupuerim frequenter, quantâ Animi Nobilitate, Sorte *TUA* contentus, Heroice spreveris Invidiam; despexeris Eos, quos barbarâ Arrogantiâ elatos conspiciebas; peperceris Inimicis; sublevaveris autem Amicos & maxima cum LIBERALITATE erexeris egenos, adeò ut neminem, *T*uæ Opis indigum, sine Levamine unquam dimiseris, illudque Marii apud Sallustium: Fortissimus quisque Generosissimus est; verè in *TUA* quoque Personâ confirmatum sit. Nec prætereunda est MANSUETUDO; quâ Adversitates quascunque *T*IBI obvias, tam Animi, quam Corporis, tantâ *T*olerantiâ sufferre soles, ut Legitimum PATIENTIÆ *E*xemplar credaris: Cujus Virtutis

tutis si alia *Tibi* deessent Indicia, ipse Ego sane luculentum perhiberem *Te*stimonium, dum in Doloroso æque ac Gravi Morbô, quo acriter satis, pauco abhinc *T*empore, conflictabaris, Cruciatus Omnes, me præsente, quem jubere dignatus fueras, ut Medicinam facerem, eâ Animi Moderatione sustinebas, ut nullum hactenus Ægrum *Tibi* parem & revera Patientem viderim. Accedit insuper SEDULITAS: Indefessô namque LABORE totam *TUAM* Ætatem consumis, quin immo dies, noctesque *TEIPSUM* quasi maceras, &, dum alii forsan *T*empus inani terunt Otio, semper aliquid agis, vel intra Metas Vocationis *TUÆ* *Te* coërcendo vel Studiis navando Operam; unde, quotiescunqe TE convenire â Fortuna mihi datum erat, Negotiis, aut Bellicis, aut Literariis, implicatum *Te* offendebam. Maximam verò parit admirationem exquisita *T*ua ERUDITIO, utpote Res nova & Sagatis plerumque

in-

infrequens, minusque ſolennis; TIBI autem admodum Peculiaris. Neque primis tantum Labris Nectar illud Apollineum deguſtaſti, ſed tantâ cum Gloria Cacumen Pindi conſcendiſti, ut non ſolum per integrum *T*riennium in Illuſtri ad Varnum Academia LEGUM Studio quondam incumbens, conſummatum agas Juriſperitum; Sed in Quocunque etiam, ſive *S*erio, ſive Curioſo Studiorum Genere, ac præprimis quidem Scientiâ MEDICA & MATHEMATICA, TE plane confirmaveris; hinc IPSE noveris, quanta cum Voluptate, multas ſæpe Horas, *T*E, de Curioſa re disſerentem, audiverim &, quod ingenue fateor, quamplurimas Obſervationes, *T*ractatui præſenti inſertas, Eruditioni ac Experientiæ TUÆ acceptas referam. *S*ed Omnium tamen, quibus polles, Virtutum Cynoſura eſt, Summa MODESTIA, qua partim Superiores honorificentisſime revereris, Pares liberalisſime

me amas, Inferiores humanissime tractas; partim singula Verborum Lenocinia Virtutibus TUIS, quamquam decenter facta, honeste declinas; adeò ut metuam, ne Justa illa Præconia, quibus TUAM hactenus deprædicare Gloriam Conscientiâ adactus sum, exosa TIBI sint aut TUAM subinde Iram in me concitem; quamvis JUSTITIAM TUAM Veritati haud repugnaturam esse confidam. Condonabis itaque ILLUSTRIS AC GENEROSISSIME DOMINE, ardenti meo Amori; Condonabis Affectui; qui me in TUI, Virtutumque TUARUM Stuporem pertraxit, ut PUBLICUM jam pro tot, tantisque in me collatis Beneficiis offeram Grati Animi Specimen, atque CHARTACEUM hocce MUNUSCULUM ILLUSTRI TUO NOMINI consecrem, & STATUAM TIBI, cui Castissimus COELIBATUS non concessit Effigiem & Humanitatis & Probitatis Paternæ, Filium, quasi ponam, in ævum omne ad Seros

usque

usque Posteros perennem, ex levi quidem Calamô, sincerô autem Pectore, profectam. Accipies exiguum istud Famæ Nominisque Tui Monumentum æquissimô Animô & Benigniori, ut soles, Aspectu, meque ipsum perpetuô Tuô Patrociniô & Clientelâ dignum judicabis. Det Summus Olympi Moderator, ut unà cum ILLUSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO DOMINO FRATRE TUO, Legionis, quæ ALTITUDINI SUÆ REGIÆ, CHRISTIANO LUDOVICO, inter Præsidia REGIA BORUSSICA, dicatur, PRÆFECTO; HEROE ad Magna Nato, veræque Fortitudinis ac Generositatis Exemplô, Nestoreos, sine ullô Virium, aut Animi aut Corporis, Dispendiô attingas Annos &, post multorum Temporum decursum, cum sempiternâ Famâ ac Gloriâ IL-

LU-

LUSTRISSIMI NOMINIS BREDAWI-ANI numquam in Terris intermoriturâ, ad Cœleſte Sionis Culmen tandem evehariſ. De cæteris, quum Magnum olim Apollinem, etſi ſagittandi peritus, Armisque adeò Clarus fuerit, inter ipſas quoque Muſas placidè, libenterque reſedisſe, Veterum Mythologia referat; non miraberis ILLUSTRIS ac GENEROSISSIME DOMINE, aut vitio mihi vertes, quod Tibi, utpote Apollini, veroque Muſarum Patrono, VIRUM Eruditum ad Latus ponere audeam; certâ ſpe Fretus, Eundem, Conſortiô Tuô ſtipatum, inpoſterum unà mecum Virtutum TUARUM Præconem fore fidelisſimum. Ad Te igitur, PRÆCELLENTISSIME BOBBARTE, mea

ſe

ſe vertit Oratio, cui ſimul præſens Opuſculum conſecrare tantò minus erubeſco, quantò majora Calcar mihi addiderunt Argumenta. Ut enim taceam; quod

aliquid ſemper TU qualescunque putares
Eſſe meas Nugas;

Sanè, ex eô Tempore, quô Clementiſſimi REGIS BORUSSIÆ Gratia in illuſtris hujus Gymnaſii COLLEGIO nos invicem junxit, Amicitiam TECUM colui intemeratam atque integram; cujus adhuc nec me pœnituit, nec poſthac unquam pœnitebit; quum ipſam Legitima Veræ VIRTUTIS habere κριτήρια, dudum convictus ſim. Eſt namque Eadem HONESTA, dum non modo Uterque, quicquid ad Honorem Divinum & Studioſæ Juventutis Emolumentum ver-

gat

gat, ſtrenuè, at unô tamen Animô, intendimus; Sed IPSE etiam Antiquitate GENERIS & Gloriâ MAJORUM, quos ex NOBILI PATERNO STEMMATE BELGICO & MATERNA FAMILIA Inclyti noſtri & Celebratisſimi MICRÆLII Propagine, veneratur Antiquitas & TUA Modeſtiâ Unus Omnium maximè flores, unde haud im̄erito TE, qui â me ameris, dignum cenſui. Eſt itidem JUCUNDA, eò quod partim in profundâ TUA Rerum Curioſarum Notitiâ multum vitæ meæ Tempus usque transegerim & Conſortium inde Tuum Dulce reputaverim; partim Adverſas Res oppidò plures, quibus, vel Sors mea, vel Invidia me frequentisſimo torquebant, in Gremiô Tuô intrepidè depoſuerim nec unquam ſine In-

genuo

genuô Solatio, abs Te recesſerim. Euge igitur! Continuabimus inter Nos Mutuam hancce GRATIAM &, Nodi inſtar Gordii, Vinculum hoc arctius connectemus, Abſit autem UTILITAS, quippe quam iis, qui Fucum vendunt, ultrò relinquemus. Mitiorem itaque in Partem interpretaberis, quod Publico hocce, etſi perlevi PRÆMIO, Amorem in me TUUM donem, & quantum Tibi debeam, Poſteritati oſtendam, meque ſimul Favori Tuo ſtabili etiam atque etiam commendem. Largiatur interim Divinum Numen, ut perpetuo & Mentis & Corporis Robore auctus, Longam mecum in hoc Mundo, & Æternam apud Cœlites Conjunctisſimos, VITAM agas atque AMICITIAM. Dabam. Sedini, ê Muſæo. d. 12. Kal. *April.* *A.* R. S. MDCCXIX.

PRO-



PROOEMIUM,



ORas Vandaliæ (1) Pomeranicas peragraturo mihi, obviam, & ex improvisô quidem, fiebat Libitina; Conspectu prorsus horridô atque terrifico, utpote Curru Triumphali vecta & â quatuor Scorpiis tracta, Trium Parcarum & inprimis Atropi, lævâ Manu tangentis Currum, dextra autem Forficem tenentis, ac ad resecandum paratæ, consortiô stipata. Post currum innumeri pené infantes, pallidâ & leprosâ corporis ac faciei figurâ conspicui, passis Comis capita ad terram prona volventes & ipsi currui â tergô annexi, Trophæorum instar, plusquam crudeli atrocitate raptabantur. Sequebatur currum Æsculapius, subtristis mihi visus & Mulierum quamplurimarum ejulantium & lamentantium coronâ circum-

(1) Vid. Hübneri Fragen von der Geographie p. 673

cumfusus, cui tamen è longinquô occurrere videbatur Pegasus: Unde magnum Ejulantium suboriebatur Tripudium, confisarum fore, ut Æsculapius brevi temporis spatiô præoccupaturus sit Libitinam. Obstupescebam inde, &, quid personata hæcce Fabula monstri alat, incertus, iter præfixum velociori gressu prosequebar. Vix autem attigeram vel Julinum vel Stargardiam vel Sedinum denique, cum oppidò multas & ferè non omnes Familias Lacrymis atque lamentis impletas offenderem, eò quod ex VARIOLIS, Malignis sæpius, Purpurâ scilicet aut *P*etechiis non raro conjunctis, Epidemiis, insignis Infantum, præcipuè tenellorum, Strages edita fuerit, nullique aut sexui aut statui Fata pepercerint, sed promiscuè & quasi ex insidiis, irritô quoque Medicamentorum nobilissimorum usu, cum subsequô tristissimæ Mortis eventu, adhuc multos adorirentur. Tenerrima itaque στοργὴ ac Necessitudo, partim Sanguinea, partim Familiaris, quâ vel unicam *P*rolem meam, vel aliorum *P*arentum charissimam *P*rogeniem, quoad possibile foret, â *V*ariolis hactenus immunem tuerer, aut jam labascentem sustinerem & conservarem, calcar addidit, in discriminosi &, utplurimum lethiferi, Affectûs hujus natales

natales ac causas inquirere penitiùs & remedii aliquod genus excogitare, quô aliqua duntaxat remora aculeato & virulento Morbo huic poneretur, tantô quidem cum Succesſu, ut Familiam nonſolùm meam, ſed, quod præfiſcini dixerim, plures etiam alios, quibus tempeſtivum præſtare auxilium copia mihi data fuerat, ſub Auſpiciis Divinis, vel defenderim vel reſtituerim, quamvis illam jactare gloriam nequeam, quâ Dolæus Liquore ſuô Anti-Varioloſô coruſcat, quod nemo, qui eum in potu ordinario asſumſerit, hactenus mortuus ſit.(2) Injuſtum hinc & Charitate Chriſtiana minus dignum ratus, ut eam, quamvis minimam, Medici Apparatûs Symbolam intra occultas intimi pectoris mei latebras abſconderem, ſuſpiriis Amicorum quorundam ſatisfacere & qualemcunque Ingenii mei fœtum in lucem proferre mecum conſtitui, quicquid etiam Stulta Zoili garrulitas aut malevolus bronci Theonis rictus ogganniat; cum ſatius eſſe duxerim, DEO quam Hominibus placere; & alii forſitan, exemplum meum ſequuti, anxium Doctisſimi Georgii Baglivi, Medici Itali, pro ſupplenda Medicinæ Penuriâ, deſiderium adimplere &, benigniore *Judicii* prærogativâ donati,

(2) Encyclopæd. Med. L. 4 p. 130.

nati, Obſervationibus ſuis, Hiſtoriam atque Curam Morborum, ex novis & univerſalibus influxibus Aëris & prægreſſo Statu cujusvis Anni, ejusque Temporum, oriundorum, concernentibus, abunde defectum iſtum reſarcire conentur. (3) Non equidem mihi arrogo, quod tenuisſimas vires meas abſtruſæ huic Materiæ examuſſim exantlandæ pares arguam: At, cum in Magnis voluisſe etiam ſat ſit, periclitabor tamen eas & de honeſtô Bonorum omnium judiciô perſuaſus, meliora docturis gratisſimô animo obtemperabo. Faxit DEUS omnia feliciter!

(3) Gelehrten Medic. p. 833.



CAPUT I.

ANATOMICO-PHYSIOLOGICUM.

§. 1.

AB Ovô ut rem ordiamur, ſi unquam aliàs, certe in explorandâ VARIOLARUM Naturâ & Cauſa, Neceſſitas poſtulat. Cum enim primam earundem materiam & Semen quaſi primigenium ex connatâ quadam Partium fluidarum corruptione trahere originem, res ſit inconcuſſæ Veritatis; Fons autem Humidi iſtius Radicalis, uti haud ineptè loqui amant Phyſiologi, in minutiſſimis atque primis Ovuli humani embryonati ſeu fœcundati ſtaminibus ſcaturiat, capienda quoque inde erunt primordia.

§. 2. Omnia eſſe ex Ovô; quid

quid vulgatius? at, quid verius? Quantumvis etenim Canon iste Physicus propriè & κατ᾽ ἐξοχὴν ad Regnum tantum Animale seu Corpora Sensitiva restringendus esse videatur, quorum, sive viviparorum, sive Oviparorum, Progenies ex Ovulis Fœmineis internis, per Semen Masculinum imprægnatis & fœcundatis, indubitatâ & omnium Prudentum applausu hodie confirmatâ Generatione propagetur; adeò ut Acaros Casearios, aliaque Animalcula, ferè visûs effugientia aciem, perinde ut alia majora, ex ovis suis propriis nasci jamdudum observaverit, aliisque ad oculum demonstraverit Ingeniosissimus Boyle, & Pulicem Oviparum per Microscopium notaverit Patersonius; (4) ac in ostreis miro ingenii acumine detexerit Baglivius (5) vix tamen inde excludenda esse bina Naturæ Regna reliqua; Vegetabile nimirum ac Minerale, censeo; quorum Corpora naturalia atque viventia, pariter ex ovô, Semine scilicet insitô & peculiari, Ovi figuram & Effectum repræsentante, componi, quis neget, nisi ἀφιλόσοφος & veræ ac genuinæ Doctrinæ Naturalis ignarus?

§. 3. Notanter autem Corpora illa, Com-

(4) Vid. Ephemerid. Curios. Germanic. Ann. 2. p. 54. (5) l. c. p. 981. f.

Composita, tam Vegetabilia, quam Mineralia, appello Viventia, eò quod Vita non tantum in Motu naturali, (iisdem quoque competente & proprio,) consistat; (6) Sed ipsa illa Corpora cuncta etiam crescant & multiplicentur, suique simile producant, (7) juxta primævam vim plasticam atque energeticam, â DEO sibi impressam (8); Terram quidem pro Matrice agnoscentia.

§. 4. De Vegetabilibus nulla suboritur Controversia, cum ex Semine eorum, tanquam ovulô, non modò ipsa Stirps progerminet, sed infiniti quoque Bulbi seminales aut Semina oviformia, sui multiplicationem causantia, producantur; quinimò non pauca dentur Vegetabilia, utriusque sexûs speciem mentientia, vicissitudinemque amoris atque hinc propagationem Sobolis suæ, per Consortium mutuum atque profluentem exinde Fructuum ubertatem, testificantia: quod inprimis in Palmâ Dactyliferâ notat Matthiolus, cujus Fœmina, â Mare procul remota, sterilis est, tandemque plane exarescit. (9)

(6) Sturm. Phys. Eclect. p. 22. (7) Seb. VVirdig. de Medicina Spirituum. L. I. c. 17. §. I. p. 85. (8) Gen. I. 11. sqq. (9) vid. Tabernæmontani & Bauhini Kräuter Buch. p. 1372.

§. 5. Aſt, circa Mineralia hæſitant utplurimum Phyſici, ſed fortasſis ſine Cauſâ: Cum Semina Metallorum non minus jamdudum agnoverint Antiquiores, (ex quibus Sperlingius pro Seminarió illô Minerali, tamquam pro aris & focis, pugnat) (10), quam Recentiores ex Naturæ penetralibus profundius eruerint. Quid enim Venæ, Sic dictæ, Metallicæ indicant aliud, niſi Ramos ê Radice ſuâ Seminali protruſos & progerminantes? Unde acutisſimus Saint Romain, Medicus Pariſienſis, appoſité ait (11): Ex hâc Doctrinâ concludo, Metalla gaudere vitâ metallicâ &, ſuo etiam modô, vegetativâ; generata ea eſſe ex Semine Metallico; Aurum ex Auri Semine; huncque Embryonem metallicum nutriri ab Aëre aſtrorum, cœlorum Spiritu & Rore; eum accreſcere, germinare; Et ramos pellit

(10) Inſtitut. Phyſ. p. 1035. (11) Scient, Natural. p. 235.

pellit arboris instar, quam Metallarii Arborem vocant Metallicam, ramis suis, truncis & radicibus præditam, quod absque vitæ Principiô intus inclusô fieri non posset. Quod ipsum etiam Du Hamel, veritatis fulmine ictus, agnoscere cogitur. Licet enim, præjudiciis præpeditus, vitam ipsam Metallorum gregi, argumentis variis ficulneis certè & unô quasi talitrô prosternendis, denegare allaboret; paulò tamen post, sibi ipsi non satis constans & in se velut confusus, tandem, quò se vertat, aut quid machinetur, nescit & internô Conscientiæ stimulô adactus, quasi sorex seipsum suô prodens indiciô, ingenuè fatetur: Quid igitur est, cur Mineralia ex intimis Principiis vel Seminiis, uti Plantæ, non oriantur? tametsi stirpes fœcundæ esse soleant, non item fossilia. Non enim aurum aliud aurum gignit. Stirpium

quoque Semina terræ mandantur, ut multiplicata Species ſuas conſervent; Semen verò Foſſilium in ipſis concluſum & occultum manet; longâ temporum ſucceſſione propriam Materiam immutat, coquit & perficit; non enim ſequacem, ut in Plantis, materiam offendit. Ut ſemel finiam, foſſilia maximam cum Plantis habent cognationem; nam, inſtar arborum eriguntur, in ramos ac venas diffunduntur: Creſcunt quodammodô & nutriuntur; neque tantô â Plantis intervallô, quantô Stirpes ab Animantibus, diſſident; adeò ut infimum vitæ gradum obtinere videantur;

antur; Sed, ne verbi controverſia nos torqueat; fateor, Mineralia omni vitâ deſtitui, Spiritu tamen æthereô perfundi & ſuis rationibus, ſeminariis inſtrui Jure contenderim; Cum iisdem ubique viribus, figuris & coloribus donentur (12). Scuticâ profectò digna foret abjecta ejusmodi, tantoque Philoſopho vel maximè inconveniens, Titubantia! Rectius proin Controverſiam hanc diremisſe videtur Saint Romain, dum omnes quidem res creatas Vitâ gaudere propriâ asſerit; vitarum verò differentias non niſi per Actionum vitalium varietates cognoſci, earumque ſpecies numero quadruplici; vitæ nimirum Metallicæ, Vegetativæ, Senſitivæ & Rationalis, includi, colligit; (13) adeò ut ratione Formalitatis, Bruta ab Homine, Solâ Rationabilitate, Plantæ & Metalla autem â Brutis, Senſibilitate differant: materia verò corporum illorum omnium ſit eadem; particulisque tam ſolidis, quam fluidis, Ovulo ſeu Semini

(12) de Fosſilibus L. 2. c. 1. p. m. 366. ſ. (13) l. c. p. 280.

Semini inexistentibus ac inclusis, & vitæ seu, rectius loquendô, vegetationis capacibus Vitalitas eorum meritò accepta referatur: Unde & Nos vexatam illam Transmutationem Metallorum possibilem esse & ex unius Seminis in alterum transplantatione internâ, originem suam trahere conjicimus.

§. 6. Sed ê diverticulo redeamus ad viam. Ovulum itaque Muliebre Humanum, â Figurâ sic dictum, quod, post explosam, ab antiquis inde temporibus receptam, de Commixtione Seminis Masculini atque Fœmini in Utero Muliebri factâ & subortâ hinc Imprægnatione, Sententiam, pro verô & propriô Semine Fœmininô hodie habetur (Improprium enim est Liquamen illud, Semini virili analogum, quod ex Lacunis & Porulis, seu Ductibus Spongiosæ & fungosæ substantiæ, Prostatarum Muliebrium nomine venientis, (14) Uteri vaginæ insertis, vigente Venere, prorumpit & a lascivientibus Mulieribus frequentius emittitur) in Testium seu ovariorum, intra Abdominis cavitatem circa ossis Ilii

(4) Conf. Joh. Munnick de Re Anatomica p. 81.

Ilii regionem utrinque ſitorum & Uteri fundo ab utrâque parte, validô quôdam ligamento, annexorum ac per Ligamenta Uteri lata, quæ veſpertilionum alas dixerunt priſci Anatomici, firmatorum ac ſtabilitorum, intercapedine hærens, eſt Capſula ſeu Veſicula Membranacea rotunda, magnitudine varians ac, vel Piſi vel Seminis cujusdam minoris figuram æquans, limpidô humore, qui perinde ut Albumen Ovi gallinacei coctione induratur & ſolô hôc κϱιτηϱίῳ ab ovis ſubventaneis ſeu Hydatidibus, Ovario ſæpe interſperſis & talem coagulationem non admittentibus, differt: (15) plena; quam per Microscopium inſpectam variarum linearum depictarum quaſi figuras ceu prima, ſed rudia, Corporis Humani Stamina oſtendere, affirmat Hoffmannus, (16) unà cum pluribus aliis; (17) negat verò Ruyſchius, (18) &

(15) Verheyen Anatom. p. 213. (16) Inſtitut. p. 53.
(17) Conf. Musſigs Licht der Weisheit, T. 1. p. 401.

(18) & ex eô Löſcherus, (19) quamvis, meô quidem judiciô, rationi ſit vel maximè congruum, Partes Corporis Solidas ex ſubſtantiâ Ovuli ſolidâ ac Membranaceâ oriri, eôdem modô, quô Partes Fluidæ ex pellucidâ ejusdem Lymphâ ſcaturiant.

§. 7. Atque idem illud Ovulum, præviâ Seminis virilis, propriè ſic dicti, (Impropriè enim Humor Proſtatarum viſcoſus, qui vero Semini in ipſâ ejaculatione admiſcetur, & ab Evnuchis quoque excernitur, Semen vulgò audit,) Auræque Genitalis ſeu Humoris albi, Spumoſi atque Spirituoſi, ex Sanguine tenuisſimô per Arterias Spermaticas advecti, in Teſtibus ac Epididymidibus ſeu Paraſtatis ſecreti & elaborati, ſicque per vaſa Deferentia ad veſiculas Seminales delati, (An verò in Seminis hujus Spiritu omnes Partes Maris, illarumque ideæ delineatæ ſint? Sentiente Hoffmannô, (20) pace tamen Tanti viri, ambigo, cum vel hac

(18) Theſaur. Anatom. VI. p. 31. (19) Phyſic. Experimental. compendioſâ p. 148. (20) l. c. p. 55. §. 16.

hâc ratione non alius, nisi Masculinus sexus, produci aut nasci posset; vel ipsæ etiam Mulieres in generatione Prolis Foemininæ aliquid Formale conferrent; vel omnis etiam Conceptus Foemineæ Progeniei ob concursum utriusque Seminis & Partium Corporis ac Idearum in eô comprehensarum & præexistentium revolutionem, Androgynus foret; quamvis ultrò largiamur, in Semine virili latere ἐνέργειαν quandam Specificam; adducti exemplis Partuum Monstrosorum, ex Coitu contra Naturam cum Brutis Sodomiticô mixtô oriundorum, ab utrâque Specie plerumque participantium) per Orgasmum Venereum & Concubitum, in Uterum Muliebrem ejaculatione &, ratione virtutis suæ energeticæ ac plasticæ, porosam Uteri immò quoque Membranæ, Ovario superinductæ, Substantiam penetrantis, impregnatione foecundatum, ab Ovariô tandem secedit (monstrante hoc & confirmante Cicatriculâ post Ovuli Separationem adhuc conspicuâ,) & dilatatis Membranæ exterioris Poris, (21) â Tubis

(21) Verheyen l. c. p. 212.

bis Fallopianis, quæ itidem ab Aurâ Genitali & obortô hinc Orgasmô inflatæ atque tensæ sunt, earumque inprimis Laciniis seu Fimbriis foliaceis Musculosis, in Oestrô Venereô sese expandentibus & contrahentibus, apprehensum, mediante Musculosæ hujus Tubæ motu peristalticô ad Uterum sensim protruditur: unde non raro fieri solet, ut, si Ovulum illud planè intra Tubam istam subsistat, Conceptio Præternaturalis, Tubariæ titulô apud Physiologos inclarescens, (22) contingat, aut læsis ac laceratis etiam vel Tubis vel ipsô Uterô, aliunde planè ejus Progenies excernatur (23).

§. 8. In Uterô jam igitur fluctuans Ovulum, ab eôdem, ex Stimulis Venereis adhuc turgidô & motum suum continuante, miris quasi amplexibus excipitur, blandèque admodum fovetur, donec, post paucos â Conceptione dies, prima illa Ovuli Stamina seu Filamenta interna magis magisque expandantur, insimulque ductus tam sanguiferi, quam serosi, ex intimâ ejus & umbilicali quidē, Regione, per Superficiem seu externas Membranas & ad Chorii extremitatem usque protensi, oscillis suis spongiosæ Uteri Substantiæ

(22) Conf. Buxbaum Catechef. Med. Quæst. 175.
(23) Ephemerid. Curios. Germanic. An. I. p. 255. s.

tiæ connectantur, atque sic (si Hoffmannum (24) sequamur, secundô ab Imprægnatione Mense) Placentam Uterinam forment, quæ post Partum unà cum Membranis Fœtum involventibus & Funiculô sic dictô Umbilicali, sub Secundinarum nomine, excluditur.

§. 9. Pendet adeò tunc ab Uteri, inter Vesicam Urinariam anterius & Intestinum Rectum posterius positi, parietibus Internis Embryo; Membranis suis, (quarum numerum binarium, Chorion scilicet seu Membranam extimam & Amnion seu intimam defenderunt omnes hactenus Medici, trinarium verò, adjungendô mediam seu Allantoidem, ἀυτοψία confirmavit accuratissimus Anatomicus Ultrajectinus, Joh. Munnicks,) (25) involutus & sic inter Stercus velut ac Urinam medius, Liquori connato innatat, ex cujus pauciori nutrimentô secum advectô seu Succô Ovuli, primis Mensibus pauxillum alimenti efflagitans, hactenus vixerat, at utero magis affixus, grandiorque factus tam curtâ supellectile amplius haud contentus nonsolum majus affectat spatium, eò quod Stamina tam interna quam externa quotidie exten-

 dan-

(24) l. c. p. 57. (25) l. c. p. 38.

dantur & Corpusculi hujus idea in majorem molem successivè expandatur; Sed indies etiam accrescens, partim â Liquore illô Amnii, Lactis aquosi colorem æmulante, seu uberiore per ductus succiferos, (qui albicantis instar gelatinæ apparent & minutissimis ex Uteri Placentâ Surculis orti Funiculum umbilicalem trajiciunt ac in ipsam Amnii Cavitatem penetrant,) nutritii succi percolati affluxu, partim etiam serositate ex Arteriis Uteri Materni in Placentam desinentibus secretâ ac unà cum Sanguine per vasa Umbilicalia ad interna Embryonis viscera delatâ, tam per Os, leni Suctione ab ipsô adhibitâ, quam per Umbilicum, opeCirculi Sanguinis & Seri, nutritur, comprobante id Experientiâ, quâ non tantum liquor in oviparorum æquè ac viviparorum Embryonibus, eorumqueStomachis reperibilis, isti, qui in Amniô observatur, examussim similis deprehenditur; Sed ipsi quoque Animalium Fœtus hiante ore in aquâ suâ seu Liquore Amnii sæpè apparuerunt & pullus,

(26) Buxbaum l. c. quæst. 183.

lus, duodecimô ab incubatione die, humori suo innatans, rostrum, ex accuratâ Observatione, aliquoties diduxerat. (27)

§. 10. Is ipse autem Liquor in Aquam Sterilem denique, Partûs prænunciam, ultimis Mensibus degenerat; Cum interea per totum gestationis decursum in Uterô alimentum laudabile præbuerit Embryoni, utpote qui duplici Nectaris Serosi rivulô reficiebatur; unô quidem Liquoris Amnii, cui innatat, per os resorpti; alterô autem Laticis Serosi, qui cum Massâ Matris Sanguineâ per ipsius Corpus circulabatur, mediante scilicet Placentæ ac Vasorum Umbilicalium adjumentô, dum per Arterias Fœtus Umbilicales omnis ipsius Sanguis ad Placentam Uterinam, Spongiosam ac porosam (Unde & flatu per tubulum immissô non aliter ac Lien distendi potest) (28) imò, juxta Blancardum, (29) glandulosam, deducitur; per Venam verò Umbilicalem vice versâ ex eâdem Placentâ Maternâ idem Sanguis, novis quasi ibidem Suppetiis munitus, cumque ipsô simul succi Nutritii in Placentâ secreti magna portio ad Jecur Embryonis, totumque illius corpusculum revehitur: (30) unde Veterum Opinio, de

(27) Hoffmann. l. c. p. 57. (28) Vid. Hoffmann. l. c. p. 57. (29) Lexic. Medic. p. 347. (30) Verheyen l. c. p. 248. Hoffmann. l. c.

Nutritione Fœtûs per Vasa Umbilicalia, ab aliis pro explosâ habita, (31) adhuc firmô suô stare talô & optimè, dummodò cum granô Salis explices, defendi potest.

§. 11. Quamdiu itaque in Uterô degit Fœtus, â Sanguine simul istô Maternô vitam & augmentationem exspectat; Post novimestre autem Spatium Amurca ejus, munere sibi commissô liberata, Lochiorum titulô, æquè ac Placenta uterina ipsa, secundinarum nomine, ex Uterô Maternô eliminatur, postquam ipse Embryo accretionis suæ terminum adeptus, ex latebris ac Claustris uterinis per partum in apricum prodire tripudiandô quasi gestiens, exclusus est, liberiorem jam auram anhelans.

§. 12. Umbilici hinc vasis probè resectis, â Saburrâ externâ, tamquam Sarcinâ sibi connatâ, repurgatus & ablutus Neophytus, suique adeò juris factus, lacte, ejusque vel primâ quasi Tincturâ, Colostrum (32) appellatâ, (interna Fœtus Excrementa ex uterô secum advecta & post partum Intestinis adhuc inhærentia, pluribusque gra-

(31) Vid. *Löscher*. l. c. p. 148. vid. infra c. 2. §. 10.
(32) VVeisbach Cur aller Krankheiten Vorbericht p. 20.

gravissimis Morbis ansam datura, Meconii charactere notata, repurgante,) (33) vel continuatô plurimum annnorum proventu, seu liquore albô Chylosô per Glandulas Mammarias â Sanguine Arteriosô sequestratô & ex Mammis aut uberibus emulctô, â Matre vel Nutrice per unius alteriusque anni Spatium providè sustentatur.

§. 13. Res igitur minus prodigiosa est, quod Soboles legat Parentum vestigia, Animique simul ac Corporis aut malas aut bonas dotes, certissimâ quasi hæreditate, utplurimum consequatur; adeò ut sit κακῶ κόρακι κακὸν ὠὸν. Aquila verò non generet Columbas, eò quod partim Spiritus ille energeticus Plasticus, in Semine Virili quasi concentratus, eandem Proli Ideam imprimat, quam ipse Genitor possidebat, partim Spirituum Maternorum cum Sanguine Embryonis circulatorum confusio atque commixtio perpetua alios Fœtui non possit instillare mores, ac illos omninò, quibus ipsa Mater prædita est.

§. 15. Patet id inprimis ex Affectibus

(33) Hoffmann. l. c. p. 30. Blancard. p. 25.

bus seu Morbis Hæreditariis, tamquam clarissimis & omni exceptione majoribus Testibus, ἀταξίαν quamcunque ac Labem totius Massæ Sanguineæ & præcipuè quidem Seri ac Lymphæ, ob arctam illam Humorum in Matre & Embryone connexionem, â Matre in Embryonem propagari: cum non tantum intra ipsum quoque Uterum Fœtus Morbis, Matres afficientibus, v. g. Motibus convulsivis, Epilepsiâ, Variolis Febribus, Icterô, correptos fuisse, res sit indubia; (34) Sed inter omnes quoque constet, quamplurimos Morbos, vel Paternos vel, quod vix exceptionem patitur, Maternos, tam immediatè post Partum, quam succrescentibus annis in Fœtu revolutos, partim interna viscera, partim communem illam Corporis Sentinam, Cutem puta, (utpote innumeris exilibus & Milii Semen vix æquantibus Glandulis, Vaporum omnium, ê Corpore sub copiosi Sudoris aut Insensibilis Transpirationis lentæ squalidiore Larvâ exhalantium habitaculis, undique refertam,) per varias Exanthema-

(34) Conf. Ephemerid. Curios. German. Ann. I. Observ. 42. p. 133.

thematum aut benignorum aut malignorum technas, insultâsse sæpius, atque sic spurcitiem illam tam connatam, quam acquisitam, quâ datâ portâ, exitum modò salutarem, modò funestum, habuisse; (35) cui numero VARIOLAS nunc haud immeritò adjicimus.

CAPUT II. SEMEJOLOGICO-PATHOLOGICUM.

§. 1.



Cur omnes ferè in universum Homines (paucis forsan exemptis) infestentur Variolis? &, An teterrimi hujus Morbi Seminium in Uterô Maternô jam contraxerint? diu hactenus inter Artis Clinicæ Magistros disceptatum est. Sanè; Acutissimus alioquin Franciscus de le Boë Sylvius circa hoc tamen negotium cœcutire videtur, utpote qui incertus admodum atque

(35) *Franciscus de le Boë Sylvius* Prax. Med. L. 4. Tr. 1. Cap. 9. §. 33. sqq.

atque fluctuante animô, quid eligat, ignorat; & quamvis Sententiæ Affirmativæ veritatem adeò coruscare profiteatur ipse, ut, quid contra illam regerere valeat, vix offendat; assensum nihilominus suum eidem denegat; (36) indeque non aliud pro Controversiæ hujus ab ipsô factâ vel tentatâ saltem Decisione forsan reportaret prœmium aut Judicium expectaret, ac Hegio olim â Demiphone apud Comicum: (37) Fecisti probè: Incertior sum multò, quam dudum. Dolæo pariter Fermentum illud insitum atque connatum, ex cujus germine tandem Variolarum Progenies propullulet, res est admiratione prorsus digna: (38) cum tamen Eidem, (quantum ego quidem assequor) arduum omninò fore credam, ut Hypothesin suam de Acidô Fermentativô Febrili extrinsecus allatô & Variolas generante, quamplurimis Difficultatum Cassibus commodè extricet. Doctissimi itaque Baglivii Monitis non injustis: Veterum Auctoritatem neutiquam imminui, sed Hypotheses eorum, quoad possibile foret, conciliari magis, quam refu-

(36) l. c. §. 3. 4. 5. 32. 33. 34. 35. 36. 37. (37) Terent. Phorm. Act. II. Scen. 4. v. 195. s. (38) Encyclopæd. Med. Dogmat. P. 2. Cap. 6. p. 118. s.

refutari atque sic Absurditatis crimen evitari debere; (39) nixi; primum utique Semen & Ovum quasi proliferum Variolarum ex Uterô Maternô cum Ipsis arcessimus. Absit interim, ut cœcum Obsequium aliis extorqueamus, aut, Thrasonicum illud: Ἀυτος ἔφα, utpote nec ætati nec Conditioni nostræ conveniens, nobis arrogemus; Sed Argumentorum pondere rem ipsam librabimus & Veritati æquam trutinam relinquemus. Age igitur! Faciemus periculum, quid humeri nostri valeant, quidve ferre recusent? & pro expiscandâ verâ Variolarum Causâ, partim τὸ τὶ seu, quid sint? (Ignoti enim nulla Cupido,) partim τὸ διότι, seu, Cur sint? (quia nihil fit sine Causâ) investigabimus.

§. 2. Ad τὸ τὶ seu Essentiam morbi spectant omnia ejus Symptomata seu Accidentia, inter quæ primatum quasi obtinent Signa, eaque, vel Diagnostica, ex quibus Morbi præsentia & gravitas cognoscitur, vel Prognostica, quæ

(39) l. c. p. 443. f.

quæ Eventum Morbi judicant atque indicant, quamquam in Febribus acutis, juxta Hippocratem (40) non ſint certæ Prædictiones.

§. 3. Aſt, quemadmodum Decurſus Morbi tria habere ſolet Tempora; Principium, Statum atque Declinationem; ita in Variolis eadem quoque obſervatur Differentia, cum Initium invaſionis, quod ad diem 4tum vel 5tum circiter plus minus duret; Tempus Medium Eruptionis & Suppurationis, ſeu Augmentum, ad diem 11mum, ſæpè etiam 14tum pertendi ſolitum, ac Extrema tandem Exareſcentia & Decidentia, die utplurimum 21mô abſolvenda, in illis deprehendatur; ex quibus unumquodque intervallum peculiaribus notatur circumſtantiis, tam Diagnoſticis, quam Prognoſticis.

§. 4. Circa Principium Variolarum, ejusque Signa Diagnoſtica offerunt ſeſe vel maxime: Laſſitudo doloroſa

(2) 2. Aphor. 19.

rosa & Languor notabilis, Somnolentia continua, Dolor Capitis, Dorsi & Lumborum, ac in Cutis superficie Pruritus cum punctionis sensu per totum Corpus, ejusque Pandiculatio, Oscitatio, Aurium tinnitus, Nausea, Vomitus, Oculorum Rubedo & lacrymæ, Narium pruritus cum Sternutatione immò sæpius Hæmorrhagiâ; & in oppidò multis, Tremores, Convulsiones ac ipsa Epilepsia; utpote *Prodromi* mox erupturarum Variolarum. Quò mitiora autem primis diebus apparent ejusmodi Symptomata, eò feliciorem suppeditant Prognosin, cum ê contrariô eorundem exacerbatio & crudelitas Eventum, utplurimum periculosiorem Variolarum Confluentium, nî Malignitatis & planè funestum, præsagiat, de quibus paulò post agemus fusius.

§. 5. Atque hæc Symptomata initialia per triduum aut quatriduum plerumque exasperantur, sicque circa tertium aut quartum diem Morbus vergit ad Statum seu Tempus Medium: Tunc enim sequitur Febris cum Horripilatione (Numquam enim sine Febre Variolas fieri posse, doctè observavit Dolæus) (41) & adjunctâ Siti, Pulsus citatior, in ipsis etiam Arte-

(41) l. c. p. 112.

Arteriis conſpicuus, Anxietas circa præcordia, quin etiam cum Syncope ſæpius conjuncta; Palpitatio Cordis, Reſpiratio difficilis & quaſi ſuffocativa, Cutis aſperitas cum Madore atque ſudore. Atque ſic inacceptus ille Hoſtis in apricum tandem venit; Variolis prius in Dorſô, dein ventre & Facie, ad inſtar Macularum rubrarum primò erumpentibus, poſtmodum paulatim accreſcentibus atque ſic in Puſtulas abeuntibus, ordinariè usque ad diem undecimum vel ultra; quæ Symptomata pedisſequas habent, Urinam albam, Alvum, in quibusdam obſtructam & hinc oriundam inflationem ventris, in aliis Solutam & hujus comitem, Pasſionem Torminalem, Famem quoque frequentiorem, (quam in multis notasſe memini) Raucedinem, Tusſim Siccam, Ptyalismum ſeu Salivationem Præter-Naturalem, Viſus itemque reliquorum Senſuum atrocem depravationem, tantâ cum violentiâ ægros invadentem, ut non rarò Cæcitas, Surditas, ἀφωνία, ſubſequatur. (42) Ubi tamen præprimis notandum eſt, Signa iſthæc recenſita non omnia aut ſimul in Subjectis omnibus occurrere, ſed Tragœdiam hancce pro variâ Ægrorum conditione varias Theatri mutationes admittere.

§. 6.

(42) Conf. Dolæus l. c. p. 124. Ephemerid. Curioſ. Germ. Ann. 2. Obſ. 201. p. 302.

§. 6. Signa Prognostica Temporis hujus medii seu Eruptionis & Statûs Morbi vel ad bonum vel ad malum Omen inclinant. Licet enim, uti jam monuimus, in Febribus acutis (ad quarum Speciem Variolas quoque pertinere certum est) Prædictiones sint admodum fallaces; quinimò in Prognosi cautè se gerere debeat Medicus, cum Famam suam temerariô præsagiô facilè amittere possit; (43) Bona tamen judicantur; Si Variolarum Invasio ipsa fiat tempore vernô & æstivô, ubi datur liberior Transpiratio, & Pororum subcutaneorum apertio, Temperamentum quoque Aëris videtur æquabilius & calore blandiore admixtum, sicque Eruptio magnâ ex parte facilitatur: Si Ægri, exanthematibus hisce infestati, macilentiores sint, eò quod tanta humorum colluvies ipsis non affluat, sed Variolæ suô quasi alimentô priventur. Hæmorrhagia Narium copiosa ante & circa ipsam Eruptionem bona est, utpote quâ refrigerium aliquod ebullienti Massæ Sanguineæ conciliare provida Natura intendit; unde nec animum abjiciat Medicus, quando ab initio Deliria, Convulsiones aut ipsi Insultus Epileptici (quos apud plurimos

(43) Vid. Hoffmann. l. c. p. 160.

mos Variolarum Candidatos innoxios deprehendimus) tamquam Critici Naturæ Motus præstò sint. In Vado res esse præsumitur, cum post Eruptionem Symptomata graviora remittant atque ipsô die tertiô vel ad summum quartô, pustulæ erumpant & usque ad diem nonum pedetentim increscant ac suppurentur: Alvus sit adstrictior, vel, si paulò fluidor, Bezoardicis Theriacalibus Diarrhæa facilè cedat; ipsæ autem pustulæ conjunctim & simul prodeuntes, distinctæ, rotundæ, fastigiatæ ac molles, instar Crystallorum, appareant & Color ipsarum ruber vel Citrinus videatur. Sudores excretivi judicantur boni: nec Tussis cum ejectione improbatur. Salivatores seu Sputatores extra omnem periculi aleam positi reputantur, (44) unde nec Sputum Cruentum semper â Salutis spe excludendum est. Gravidis itidem, quamquam periculosiores, neutiquam tamen semper exitiosæ sunt Variolæ, quia ejusmodi Febris, utpote brevi decursu absolvenda, vasa uteri cum funestô impetu omnimodè relaxare nequit. Malam verò Prognosin & eventum, nî planè lethiferum, dubium tamen & periculô plenum, portendunt; Si adultos, (quorum scilicet aut Massa Sanguinea magis particu-lis

(44) Vid. Bagliv. l. c. p. 563.

lis Sulphureis indeque facilè inflammabilibus ſcatet, aut vaſa compactiora, nec adeò lubrica & patula ſunt, ac infantum & puerorum,) Morbus hic corripiat; ac inprimis quidem tempore Hybernô vel Autumnali; itemque quibus in Familiâ exitiales fuere Variolæ. Majori in diſcrimine verſantur etiam Obeſi præ Macilentis: Mônſtri quid alunt ejusmodi Exanthemata, ubi Expulſio ritè non ſuccedit, ſed eadem intempeſtivè retrocedunt; aut illicò marceſcunt, partiumque Tumor extemplò remittit, ſuperſtite nihilominus eôdem Symptomatum graviorum atque Caloris gradu. Ejusdem farinæ eſt Status, quando poſt Eruptionem Febris, Deliria, Convulſiones, Epilepſia, Syncope, Vigiliæ, nequaquam mitigantur aut acerbiora multò Symptomata recurrunt: Quamvis enim ante Eruptionem non ſemper inter noxia recenſeri mereantur; poſt eam tamen aut tranſactô quintô die, ob imminutum virium robur, periculô præſentisſimô numquam carent, immò plerumque funeſta ſunt. Sic Sitis deficiens & Appetitus omnis proſtratus Defectum Spirituum arguunt; Quemadmodum Reſpiratio difficilis & quaſi ſuffocativa cum Raucedine juncta, Inflammationis præ ſe fert indicium. Color Variolarum liveus, nigricans aut violaceus;

laceus; itemque confluens ipſarum multitudo, peſſimi utique moris judicantur. Circa Excretiones; Menſium fluxus prorumpens, ex obſervatione Wedelii, lethalis perhibetur, quem tamen ſine noxâ notavit Dolæus. (45) Eôdem modô Diarrhææ malæ cenſentur, inprimis nigræ, cruentæ, virides &fœtidæ, eò quod Naturæ Ordo retrogradus non ad Corporis Peripheriam expellat materiam peccantem atque purulentam, ſed in ſinu quaſi ſuô eam fovere ac interna in viſcera ſævire videatur; quod Symptoma, etſi periculô utique minus carere profitear, citra labem tamen aliquando in propriâ Familiâ expertus ſum. Quoties Variolæ internis viſceribus vim inferre conantur, majus portendunt ægris diſcrimen, cum Phthiſis, Dysenteria, Angina, Gangræna ac Sphacelus, utpote Mortis Legati, facilè, quâ datâ portâ, irruant. Aſt, ſi Sudores reſolutivi & frigidi, aut Extremorum Frigus, Varioloſos obruant, tunc de Curâ amplius deſperandum eſt. Omnium peſſimæ ſtatuuntur iſtæ, quæ maculis, ſive rubris, ſive fuſcis, ſive nigris, præcipuè in meditullio Puſtularum, ſtipatæ, ſummam virium dejectionem atque debilitatem comitem

(45) l. c. p. 123.

tem habent: Ibi enim acerbissimam Malignitatem & plerumque certissimam Mortem prænunciabis. En igitur Signa, utriusque Temporis, Principii scilicet & Augmenti, Prognostica! quæ conjunctim tradere fructuosum duximus, ut disparitas eorum continuô nexu & unô quasi obtutu pateat; idque eò magis, cum vix primis diebus & in ipsô Morbi Principiô de Eventu vel salutari vel desperandô æquum possit ferri judicium, priusquam ad ἀκμὴν ipse Morbus perductus sit: Quantò enim major adest Malignitas, post aliquod tempus demum sese prodens, & ut anguis in herbâ sæpè latens, tantò majus imminet periculum.

§. 7. Denique, cum ordinariè post 14. dies Cursum suum absolverint Variolæ; Declinatio Morbi sequitur; cujus Signa Diagnostica ex Spontaneâ exarescentiâ & decidentiâ pustularum ac benigniore correctione & evanescentiâ reliquorum graviorum Symptomatum hauriuntur; quam rubræ semper Maculæ, succedente tempore ultrò albescentes, aut fossulæ etiam vel majores vel minores per totam vitam conspicuæ, excipiunt: Ea sanè si sponte omnia aut minori saltem operâ corrigantur; Signa præbent Prognostica admodum bona Morbi

bi per breve temporis ſpatium penitus ſublati: Aſt; ſi poſt 14tum diem illicò marceſcant, partiumque Tumor in momentô quaſi remittat; vel novus Variolarum Paroxyſmus (quem nihilominus bis absque periculô rediiſſe, plura monſtrant exempla,) cum Tremore Artuum, Convulſionibus, SuppresſioneUrinæ, Tusſi aut Excrementis cruentis recurrat, tunc virus recrudeſcere & mortem in ollâ conjicies. Non minus ad Prognoſticorum Malorum Cenſum pertinere arbitramur, ſi poſt exantlatas Variolarum Moleſtias, præter opinionem Febres, etiam Intermittentes, eæque vel Tertianæ vel Quartanæ, ſeſe offerant; qualesMetamorphoſes, utpote Lentarum aut Hecticarum ſæpè prodromi, Medicum fatigant & in noſtrâ Praxi non unâ vice in conſpectum venerunt.

§. 8. Reſtat adhuc, ut pauca quoque de Variolis Epidemiis Malignis adjiciamus. Definitur alias Morbus Epidemius â Medicis accuratioribus, immò ipſô quoque Hippocrate, (46) quod ſit Affectus communis, qui ejusdem generis plures, ab eâdem Causâ, non tamen vernaculâ, ſimul corripiat

(46) In Epidem.

ripiat; & ab Endemiô differat, quod uterque quidem sit Morbus pluribus communis; Endemius autem vel semper vel Statis Periodis aliquam Civitatem aut Regionem ex causâ vernaculâ infestet atque ita quasi Patrius aut Vernaculus audiat, v. g. Scorbutus, accolis littoris Maris Balthici; Lues Venerea, Indis: Bronchocele seu Struma, Alpinarum Regionum Incolis; Plica, Polonis; Rachitis, Anglis. Epidemius contra, â Causâ quidem communi, non tamen isti loco vernaculâ, originem habeat: & per aliquod tantum tempus in Civitate vel Regione hâc vel illâ grassetur. (47) Atque hi (De Endemiis enim Sermo nobis jam non est,) â maximô Medicorum cœtu pro Malignis venditantur, (ad quam etiam Sententiam inclinat Blancardus,) (48) sed perperam; cum alii sint benigni, quorum exemplum in Febre quâdam Epidemiâ, Lugduni Batavorum Anno 1667. plures

(47) Vid. Sennert. Instit. Medic. *L.* 2. P. 1. c. 7. p. 175. (48) l. c. p. 178.

affligente refert Franciſcus de le Boë Sylvius; (49) alii verò Maligni, (50) quales ſunt: Peſtis, Febres Malignæ & Affectus ille Epidemius, ab Auguſtô Menſe 1669. ad finem Januarii 1670. in Leidenſis Urbis Incolas ſæviens & ab eôdem Sylviô examinatus. (51) Ad ultimam igitur hancce Claſſem pertinent etiam Variolæ, ſub finem Anni 1717. & per dimidium ferè Annum 1718. Oras Pomeranicas atrociter ſatis & crudeliter adortæ; quarum inſignem Malignitatem nonſolum tot Infantum Centuriæ, in ipſo Flore ætatis miſerè ê Complexu Parentum ad necem abreptæ, indicant; (52) (Epidemiæ enim benignæ rarò ſolent eſſe Exitiales;) (53) Sed Maculæ etiam varii generis & Puſtulæ Miliares, vel rubræ, vel albæ, Purpuræ nomine indigitari ſolitæ, produnt; adeò ut ægri, Variolis iſtis Epidemiis tunc correpti & in Portu jam navigare ac Morbi moleſtias ſuſtuliſſe viſi, ex improviſô tamen vitam cum Morte commutare coacti fuerint; Signis tam Diagnoſticis, quam Prognoſticis, veras & innoxias Variolas mentientibus, ſed cruentâ Malignitatis

(49) Peculiari Tractatu, annexô Prax. Med. L. 4. ſub Tractatu 9. (50) Sennert. l. c. (51) l. c. ſub Tractatu 10. (52) Conf. *Sylv.* l. c. Tract. 10. §. 3. (53) *Sylv.* l. c. Tract. 9. §. 17.

gnitatis Larvâ detractâ, in funestum præsagium declinantibus. Atque hæc de Signis hactenus dicta sufficiant.

§. 9. Viam nunc ulterius paramus ad τὸ διότι seu Causas Morbi hujus, tam in Genere, quam in Specie. At enimverò, cum utplurimum ob summam Rerum Naturalium Abyssum summi etiam Philosophi in verarum Causarum investigatione caligare soleant; quid de nobis fiet? Sane felices deprædicandi foremus, si Morbi illius veras Causas, ab aliis pro abstrusis & impervestigabilibus habitas,(54) indagaremus. Sed, cum pueri etiam Nasum Rhinocerotis quandoque habere dicantur. Ecquid nobis nocebit, tentâsse? Hinc, quia Opposita juxta se posita magis elucescunt, eâ potissimum incedemus Methodô, ut Causas, minus legitimas nobis visas, recenseamus & aliquali, (an Sterili? disquirant alii;) ἐπικρίσει additâ, nostram denique Sententiam, Experientiæ ac Rationis argumentis suffultam, subjungamus & æquo Cordati ac â præjudiciis alieni Lectoris arbitrio totum opus relinquamus.

§. 10. Prima Sententia est VETERUM; quod nimirum Variolæ

 ex

(54) VVeisbach. l. c. p. 420.

ex Impuritate ac Corruptione Sanguinis Materni ſeu Menſtrui, ex quô Embryo alimentum capiat, ejusque parte quidem craſſiore, quemadmodum Morbilli ex ſubtiliori Portione, originem trahant, ita quidem, ut Malignitas illa in Uterô hauſta, poſt liminiò aut occaſione Aëris impurioris, aut per venenum aliquod contagioſum, modô externum, modò internum, excitetur & inſtar Fermenti eorum Corpus coinquinet; donec beneficio Naturæ impurum â puro ſecernatur & ad Corporis Peripheriam expellatur.(55) Accidit huic Hypotheſi πολυθρύλλητον illud: Laudatur ab his, culpatur ab illis. Plerique enim, præcipuè ex Recentioribus, eandem improbant, his potiſſimum uſi argumentis: 1. Falſam (56) immò, uti paulò rigidius ſentit Löſcherus, (57) hodie exploſam eſſe opinionem Veterum; Fœtum ex Sanguine Menſtruo Mulierum ſeu per vaſa Umbilicalia nutriri. 2. Conceptionem fieri, non in inſtantibus Menſibus, nec actu jam fluentibus, ſed finitis illis, ubi ſcilicet per Vaſa Uteri, adhuc non nihil laxata, Semen Genitale, ſeu ad mentem

(55) Vid. Timæi â Güldenklee Prax. Med. Sect. de Febr. b. Cap. 10. Scipion. Mercur. la Commare p. 734. (56) Vid. Dolæus l. c. p. 118. (57) l. c. p. 148.

tem Harvæi, Aura Genitalis ad Massam Sanguineam penetrare & ova Muliebria fœcundare possit.(58). 3. Quamvis etiam Nutritio fœtus per Sanguinem concedatur; illum tamen in Mulieribus ægris & Cacheɛticis tantum impurum; contrà verò in vegetis atque Sanis purissimum, maximéque laudabilem esse; unde sequeretur, quod non omnes in universum Infantes, sed illi saltem, quorum Matres Morbosæ fuissent, Variolis corriperentur. (59) 4. Variolas esse Morbum novissimum atque Antiquioribus prorsus incognitum; cum tamen omnes omnino Mulieres â pluribus inde seculis Menstruô Fluxu nihilominus affeɛtæ fuerint. (60) 5. Bruta etiam, Sanguine Menstruô in Utero nutrita, v. g, Boves, Asinos, Equos, & sic porrò, variolis obnoxia fore, quod tamen Experientiæ contrariaretur.

§. 11. Defendit autem hancce Veterum Ætiologiam Ingeniosissimus Willisius (61) & causam Variolarum proximam cum Arabibus utique in Sanguinis Menstrui inquinamentô, per Tempus

(58) Dolæus l. c. (59) VVelschius La Commare del Scipion. Mercur. p. 734. (60) VVelschius ibid. (61) de Febrib. C. 15.

pus Formationis, Masſæ Sauguineæ Embryonis in Uterô Maternô commixtô quærit: Quoniam 1. in Uterô ſub Menſtrui Sanguinis charactere generetur Fermentum aliquod, quod Masſæ Sanguineæ quendam vigorem procuret, ac deinde ſtatis periodis Turgeſcentiam & Excretionem ſuperfluam cauſetur. 2. Ipſum illud Fermentum, cum ſub tempore Conceptionis, cesſante Fluxu Menſtruô, intra Masſam Sanguineam maneat, nec, uti alias, ê Corpore eliminari posſit, conjunctum cum aliis particulis ſeu Humoribus peregrinis & heterogeneis unà cum Sanguinis Materni Circulô per Vaſa Umbilicalia in Embryonem transplantetur. 3. Particulæ illæ fermentativæ in Uterô collectæ ſuccedente tempore, quâvis datâ occaſione, iterum ebulliant ac de novô fermenteſçant, ſicque varia Symptomata in Variolis occurrentia producant, quæ ipſa Semina fermentativa, prout vel pauciora vel plura, vel mitiora & benigniora vel atrociora & maligniora, modò citius, modò tardius, modò blandius, modò ſeverius, hominem in aurâ liberiori & extra uterum conſtitutum invadant: (62) iisque rationibus cunctis exactè adſtipulari & ad eandem quoque Sententiam

(62) Vid, Dolæus l, c, p. 116.

am accedere proclivis eſt Sylvius; (63) quibus & hoc liceat adjicere: Argumenta contra decantatam illam Veterum Opinionem prolata, facili negotiô disjicienda esſe.

§. 12. Quamvis enim ad 1.mum cum Hoffmannò (64) concedamus; Sanguinem Menſtruum immediatè Infantem non nutrire; Sed Nutritionis illius officium Succo Nutritio in Sanguine delitescenti & â Masſâ Sanguineâ ſecreto competere; tantum tamen abeſt, ut Sanguinem Maternum hâc ratione â mediatâ Nutritione prorſus excludamus, quin potius aliter ſentientem Abſurditatis crimine vix liberare posſimus. Præterea enim, quod Sanguinem Menſtruum (quem in Vaginâ Uteri, non ipſô Uterô, ſecerni, contra accuratisſimos noſtræ ætatis Anatomicos, Verheyen (65) puta, Munnicks, (66) Blancardum; (67) immò contra apertas Rationes Phyſiologicas, quæ Lochia, utpote Sanguinis Menſtrui, durante Conceptione retenti, Reliquias,

 non

(63) Prax. Med. L. 4. Tract. 1. c. 9. §. 32. usque ad 37. (64) l. c. p. 56. (65) Anatom. p. 221. (66) De Re Anatom. p. 78. (67) Lexic. Medic. p. 285.

non ex vaginâ, sed ipsô Uterô, profluere docent; novâ, sed forsan minus probabili aut imitabili Observatione, statuit Löscherus) (68) Fœtus alendi causâ, in Prægnantibus copiosè advehi, egregiè ostendat Weisbachius (69) & multis argumentorum ponderibus gravātus Sylvius (70) defendat; immo, veritatis convictus, amplius negare nefas ducat Dolæus: (71) omnium omninò accuratiorum Physiologorum universalis quasi Regula est: Liquorem illum Amnii, cui Embryonem innatare & nutrimentum suum, levi per Os suctione, capessere, jam suprà demonstravimus, ex parte gelatinosâ Sanguinis Materni & Arteriarum ad Placentam Uterinam delatarum colligi atque secerni, sicque per Ductus succiferos, in ipsam Amnii cavitatem hiantes, percolari; ipsum autem Sanguinem, antea Menstruum, jam verò in Placentâ suffla-mina-

(68) l. c. L. 3. Cap. 5. quæst. 12. p. 146. (69) l. c. p. 120. s. (70) l. c. L. 3. C. 3. §. 7. 16. usque ad 25. (71) l. c. p. 234. 235.

minatum, per Venam Umbilicalem cum eadem *Placentâ* connexam, in Embryonis Jecur delabi atque hinc per totum ipsius Corpusculum circulari. Ecquis igitur, si primis tantum labris Prudentiæ Medicæ rivulos deguſtâsſet, iret inficias? Embryonem, rebus ſic ſtantibus, Menſtrui Sanguinis in Placentâ Uterinâ detenti parte gelatinoſâ, ad Amnii cavitatem percolatâ, ſugentam ad Jebô, per Os, quam in Venâ Umbilicali ad Jecur & totum ſic corpuſculum unâ cum Sanguine propagatâ atque circulatâ, per Umbilicum, nutriri: (72) unde Veterum Opinio, pro falſâ hactenus & exploſâ habita, applauſum forſan reciperet, modò ritè declaretur, &, quicquid ibi erroris ſubnaſcatur, humanius excuſetur. (73) Ceſſat hinc Objectio 2da. Dum enim Nutritio copioſa primis poſt conceptionem diebus non requirebatur; Sed Ovulum imprægnatum adhuc in Uterô liberè fluctuat atque ſic perpauculum certè Nutrimentum expoſcit, immò Seroſitate limpidâ intrinſecus hærente & ſibi adnatâ, ut alimentô vel maximè Staminibus hiſce ſuis tenellulis ſufficiente

(72) Vid. ſuprà C. 1. §. 9. (73) Conf. Sylvius l. modô allegatô §. 26. usque ad 32.

ficiente contentum eſt, ac abundantia iſta tum demum, ubi Placentæ Uterinæ adhæreſcebat, necesſaria erat; (quam tamen connexionem Menſe ut plurimum 2do fieri probavimus;) (74) nihil vitæ aut alimento ejus decedebat, licet vel per unicum Menſem, Sanguinis illius, ex quo Nutrimentum præparari debebat, affluxu deſtitueretur: modò illud reliquô tempore, poſt factam cum Placentâ conjunctionem, eidem ſatis porrigeretur; unde etiam primô ſtatim poſt Conceptionem, aut in Plethoricis ſecundô tantum, Menſe Fluxum Menſtruum ordinariè deficere obſervamus, eò quod jam ad Fœtus nutritionem expeteretur. Quantumvis interim 3. ultrò largiamur; Sanguinem Menſtruum, præcipuè in Mulieribus ſanis (Nociva enim Effluvia ejus atque Effectus & periculoſiora Fata, â Vulgô circumferri ſolita, Fabulam inanem ſapiunt &, Experientiâ teſte, meritò exploduntur) (75) purum omninò & laudabilem esſe, nec aliâ ex Cauſâ, niſi ob Plethoram ſeu Abundantiam Sanguinis, naturaliter (nam de Præternaturabilibus Fluxûs hujus adaucti Cauſis Sermo nobis jam non eſt) emitti: non impedit tamen, quò minus ille Sanguis, etiam purus, in Uterô ejusque Placentâ tem-

(74) Vid. ſuprà C. 1. §. 8. (75) Conf. Sennert. l. c. L. 1. c. 10. p. 74.

tempore geſtationis ſtagnans, depoſitis pro Embryone nutriendô liquoribus laudabilioribus, perinde ut Aqua, etſi limpidisſima, in Vaſe diutius detenta, aliquantulum putreſcere incipiat atque ſic, præcipuè cum varii ac ſæpisſimè heterogenei humores eidem admiſceantur, ad Fermentum aliquod putredinale diſponatur, indeque Diſpoſitionem illam Morboſam Embryoni pariter imprimat; eò magis, cum nulla unquam Fœmina, propter nimiam Seri & Humorum, quandoque crudorum, copiam ex asſe deprehendatur ſana; Sed modò hôc, modò illô Symptomate infeſtetur & aliquod Seminium morboſum ſemper ſecum circumferat, facilè adeò in Embryonis viſcera transplantandum: Qualis enim Cauſa, talis etiam effectus esſe præſumitur. Ad 4tum regerimus; Quod Variolæ Veteribus etiam planè ignotæ haud fuerint; cum Hippocrates pasſim, (76) ἐξανθημάτων ἐρυθρῶν στρογγύλων σμικρῶν, Puſtularum rubrarum, rotundarum parvarum meminerit, & Aëtius Amidenus, (77) Infantibus papulas per univerſum Corpus erumpere ſcribat: Cur autem obiter, nec accuratè ſatis aut prolixè, Morbi iſtius ab Autoribus An-

(76) Libr. Epidem. (77) Libr. Medicin. 14.

Antiquis facta fuerit mentio? ea fortassis causa subesse potest, quod tunc temporis ob exquisitam Victûs Rationem mitiora essent omnia, quemadmodum multos hodie Variolis laborare videmus, qui benignioribus sanè Symptomatibus affecti inter ipsos quasi pueriles Jusus Morbum hunc superant; Hinc & olim Affectum hunc non adeò communem aut celebrem fuisse, haud absurdè creditur. Et, quid? Si concedamus etiam, Variolas olim effœtæ Antiquitati non innotuisse; nihil inde decedet Opinioni isti, Morbum illum ex Menstrui Sanguinis corruptelâ progigni. Quem enim latet? quantâ temperantiâ, Simplicitate & abstinentiâ quondam vitam egerint grandævi Patres cum Familiâ suâ; indeque tantis tamque multis Morbis minus obnoxii, magnam ætatem consumpserint, quam tamen Luxuria nostrorum temporum, & ingurgitatio ciborum poculentorumque variorum, sibique invicem contrariorum, promiscua, & aliarum Rerum Naturalium intemperies in brevissimum Compendium jam contraxerit: Ut taceamus, ipsam etiam Aëris temperiem â præteritorum Seculorum influxu planè dissidere; adeò ut nova Corporis Animalis Diæta novos quoque Morbos pepererit; Cujus exemplum suppeditat

ditat Lues Venerea, Morbus jam decantatisſimus, prioribus verò ſeculis ignotus ac peregrinus, Denique 5. humani quid patiuntur, qui Brutis Menſtruationem Sanguinis tribuunt, cum ea Soli homini competat nec in ullô Brutô obſervetur, niſi fortè Simiam excipias, quæ, ſicut in reliquis Organis atque Actionibus, ita & in analogâ quâdam Menſtruâ Purgatione Sanguinolentâ, Hominem imitari videtur: (77) Præterea, licet Brutorum Fœtus æquali cum Embryonibus Humanis alimentô, Succô ſcilicet Nutritiô â Sanguine ſecretô, in Uterô fruantur; ob victum tamen ſicciorem & ſimpliciorem, quô Matres in labore ſeu Exercitiô continuô vitam acturæ gaudent, aliasque, Conſtitutionis, Temperamenti, Conformationis Partium & Humorum circumſtantias, quibus ab Humanô Genere differunt, talibus Morbis, ac Embryones Humani, non ſunt obnoxii. Et, quid multa? Ipſa etiam Bruta â Variolis non ſunt immunia, exemplô Ovium; quibus Boves, Equi & ſic porrò, analogum Scabiei Affectum perpesſi, adſtipulantur. Hinc abſurdum non eſt, Menſtrui Sanguinis Dyſcraſiam & putredinalem Corruptionem Embryoni Humano, ob Alimenti hujus neceſ-

(77) Vid. Bohnii Circul. Anat. Phyſiol. Prog. 16. p. 223. ſeqq.

necesſitatem, in Uterô Maternô Morborum variorum (quidni Variolarum quòque?) Cauſam exiſtere, ſed remotam tamen; cum cauſæ proximæ titulum ob difficultates intricatiores, mox memorandas, neutiquam mereatur, indeque mediatè quidem, minus autem immediatè, ad Variolarum Natales concurrat.

§. 11. Secunda Sententia eſt WILLISII, qui Cauſam itidem Variolarum in Menſtrui Sanguinis inquinamentum, Embryoni ſimul per Circulationem implantatum, eidemque varias Particulas Heterogeneas inſerens, transfert; Cauſam autem ſimul Evidentem triplicem, ex quâ fermentativa iſta Semina concitentur, addit; nempe, 1. Contagium; quô Effluvia Corporis alicujus Morboſi virulenta in aliud Corpus impingentia, inſtar veneni, Fermentationem ibidem efficiant atque ſic conſequenter Morbi ejusdem Ideam imprimant. 2. Diſpoſitionem; Aëris ſcilicet peculiarem & particulis Heterogeneis, quas ſimul inſpiremus, refertam; unde & per totas

totas sæpe Regiones Variolas sævire, ac magis quidem Vere & Autumnô, ob multas peregrinas particulas tunc temporis Atmosphæræ commixtas, recrudescere asserit. 3. Immodicam Massæ Sanguineæ turbationem, ratione cujus, etiam sine Contagiô, Morbus ille in Corpus introduci possit. Modum determinat instar Musti effervescentis, ita ut perinde, ac illius fœces, Excrementa Naturæ successivè foras ejiciantur atque sic Variolæ, succedente tempore, progerminent & maculæ initiô rubræ, dein pustulæ humidæ ac denique Scabies sicca, suboriantur. (78) Quæ omnia quidem speciosa sunt: Assensum tamen nostrum plenarium remorantur sequentia: 1. Quod Inquinamentum illud vix dici possit Causa proxima Variolarum: Causa enim proxima aliás definitur, quod inter eam & subjectum nulla alia Causa intercedat, seu ,quæ per suam actionem Effectum immediaté producat. (79) At, si, ex mente Willisii, Effluvia aliorum Corporum morbosorum venenata aut Aëris

 par-

(78) L. de Febrib. c. 15. (79) Vid. Donati Metaphys. Usual. p. 201.

particulæ heterogeneæ, aut ipsa Sanguinis perturbatio, Variolas excitent; eæ sane causæ extrinsecæ, non autem Inquinamentum intrinsecum, quod absque prioribus istis Causis quietum mansisset, in Culpâ sunt; sicque inter Inquinamentum illud & Variolas alia Causa externa intercedit; quemadmodum in Lue Venereâ prava & intrinseca quædam aut Cachectica Corporis Dispositio, non autem Effluvia & miasmata Virulenta acria corrosiva Venerea, Corpus, alias ab istâ Labe liberum, extrinsecus inficientia, sub Causæ proximæ ac immediatæ titulô accusanda sunt. 2. Hypothesin hanc de Inquinamentô excitatô exoscularemur; si Variolæ brevi post Partum tempore Infantes modò natos invaderent, ubi scilicet Fermentum illud recentissimum facile in motum cieri posset. Ast: quid fiet de Adultis? in quibus per longam moram Sanguis tot, tamque varias alterationes, tam Naturales, per Transpirationem æquè Sensibilem seu Sudorem ac insensibilem, quam Præter Naturales seu Morbos multiplices, subiit, ut inquinamentum illud antiquum ferè obliteratum ac discussum sit; cum tamen inter omnes constet, Adultos, etsi ab illô Inquinamentô adeò longinquos, Variolis sæpè affligi

affligi magis, quam Infantes Fermento isti adhuc proximos. Aut 3. Cur idem illud Inquinamentum seu Fermentum per Sanguinem Menstruum cum Embryone communicatum, præcisè Variolas, nec ullum alium Morbum, excitat? præcipuè cum Aëris particulæ heterogeneæ aut Sanguinis perturbatio ad alios æquè Morbos, ac Variolas, inclinare possent. Inde 4. cum multi Infantes â partu statim aliis Morbis, v. g. Epilepsiâ, Convulsionibus, Icterô & similibus, corripi observemus, quorum sanè nullam aliam causam, nisi humores noxios & heterogeneos, ex Uterô Maternô secum allatos, allegare possumus; Cur Inquinamentum istud non in Variolas, quarum tamen fermentum, juxta Willisium, in Sanguine Infantili jam latebat, sed alios plane Morbos, degeneret? non assequor. Hinc libenter quidem admittimus, Inquinamentum hocce seu potius Sanguinem Menstruum corruptum ad Variolas aliquid conferre: An verò pro Causa

proximâ utrumque venditandum ſit? ex productis dubitamus.

§. 13. Tertia Sententia eſt; ETTMULLERI (80) BLANCARDI (81) JACKSONII, (82) & ALIORUM, qui Principium aliquod nobis inſitum ſtatuunt, ratione cujus nemo posſit Variolas effugere; idque quærunt in Lacte Nutritivô, tam intra, quam extra Uterum, ejusque particulis Acidis, quæ poſtmodum ex quâcunque Cauſa Occaſionali, ſive Aëris, ſive Contagii, ſive Victûs, ſive Rei alterius cujusdam Non-Naturalis, per Fermentum ſimile extrinſecus inſpiratum, excitari queat. Veruntamen; cum iſta Opinio cum priori coincidat, modò quod, locô Sanguinis Menſtrui ſeu Inquinamenti, Lac Nutritium ſubſtituatur; atque ſic circa hoc Inquinamentum Lactis intra Uterum eædem difficultates, quæ circa Inquinamentum Sanguinis occurrunt, ſeſe offerant; actum agere

(80) Vid. Dolæus l. c. p. 118. (81) Lexic. Medic. p. 437. (82) Enchirid. Medic. p. 147.

agere nolumus. Quoad Lactis Vitium verò extra Uterum Variolis ansam suppeditare creditum, difficile erit, triplicem hunc Nodum solvere. 1. Cur in Infantibus, quibus Lactis Humani copia prorsus non datur, sed, vel ob morbosam Mammarum Maternarum constitutionem, aliasque Circumstantias eô exclusi, solô Lacte Brutinô educantur, (quorum exempla quædam nobis nota sunt) Inquinamentum illud non cesset, Sed ipsi nihilominus Variolis infestentur? cum tamen Non Entis nullæ sint Affectiones. 2. Cur Infantes â Nutricibus, non verò Matribus propriis, lactati, Variolosi fiant? eò quod Inquinamentum illud Maternum peregrinô lacte correctum & emendatum videatur. 3. Cur ex Lacte illô Nutritiô Variolæ tantum, nec alius quispiam Morbus ex Acidô scaturiens, pullulent? Nobis certè congrua circa hoc Argumentum Responsio deficit.

§. 14. Quarta Sententia eſt, MERCURIALIS, qui Variolas Morbis Aſtralibus annumerans, culpam primariam vitio cuidam univerſali Aëris acceptam refert; ex quô ſcilicet â Parentibus hauſtô, ille Morbus per Transplantationem hæreditarius jam factus ſit, adeò ut Varioloſi ſeu ad Variolas diſpoſiti Parentes eâdem ratione generent Varioloſos Liberos, quâ Arthritici aut Epileptici, Arthriticam aut Epilepticam Sobolem procreent, (83) cui adſtipulantur Joh. Hayne, (84) Fernelius, (85) in occultô venenô Aſtrali cauſam ſtatuentes; & Scipio Mercurius, (86) fulcrum Hypotheſeos hujus inde quærendô, quod Morbi Aſtrales pedetentim imminuantur & periculô careant: idemque circa Variolas contingat, quarum Cura olim primis Exortus

(83) Vid. Andr. *Laurentius* Hiſtor. Anatom. Humani Corporis p. 296. (84) de Morbis Aſtralibus p. 19 (85) Conf. Dolæus l. c. p. 118. (86) La Commare p. 735.

ortûs sui temporibus maximè fuerit difficilis, jam verò existat levissima & Medici Ope vix digna judicetur. Neque tamen ista Sententia firmô stare talô videtur. 1. enim rectè monet Andreas Laurentius, Morbos omnes illos, tam hæreditarios, v. g. Arthritidem, Epilepsiam, & alios ejusdem farinæ, quam Astrales, ut Pestem, Morbosque cæteros Malignos, ex infectô Aëre oriundos, in Ægris, labe illâ correptis, sæpissimè recrudescere atque recurrere; quod tamen longè aliter circa Variolas contingat, quibus semel ritè exantlatis tota jam Massa Sanguinea defœcata puriorque reddita est, nec amplius, quod sibi ab earum regressu metuat, necesse habet; Recidiva enim Variolarum, in quibusdam observari solita, præsupponit, verum ac internum Morbi istius fundamentum â Naturâ nondum hactenus perfectè disjectum, sed superficialiter tantum & obiter convulsum fuisse. 2. non male urget idem Autor, Morbos istos hæreditarios vi Seminis energetici â Parentibus in liberos transplantari,

(quamvis erroris notam incurrat, quod causam eorum Formalem in Partibus Solidis quærat; utpote quæ magis in Fluidis ac Humoribus radices agere videtur.) Cum itaque Parentes â Variolis jam liberati, amurcam illam Variolosam deposuerint & sanguine Salubriori gaudeant; quomodo inquinamentum illud, quô seipsos dudum exoneraverunt, in Liberos transplantare possent? Non Entis enim nullæ sunt Affectiones. 3. Morbi Astrales, ob universalem Atmosphæræ Macrocosmicæ ἀταξίαν, omnes omninò homines indiscriminatim adoriuntur; Ast: Variolæ, Liberos tantum aut eos certè, qui ab illô Morbô adhuc immunes fuerant, infestant; iis verò parcunt, qui violentiam ipsarum semel superaverunt; immo, in Variolis Epidemiis Malignis, Purpurâ vel Petechiis stipatis, ipsa Purpura vel Petechiæ illos etiam, qui Variolis olim obnoxii fuerant, corripiunt; Variolæ autem eosdem intactos relinquunt; manifestô indiciô, quod Effluvia Astrorum pro Causa non

non agnoscant, sed aliunde deriventur, cum alioquin eâdem vi, quâ Morbi Maligni, unumquemque inquietaturæ sint. 4. Plurimi exstant, qui â Variolis per totum vitæ decursum immunes sunt, licet â Parentibus Variolosis geniti; & vice versâ ex stemmate non varioloso nati, Variolarum tamen injuriam sufferre adiguntur. Quomodo autem utrinque Transplantatio locum ibi habere possit? non satis capio. De cæteris 5. aliorum transmittimus judicio; An Variolæ nostris hisce Temporibus leviorem curam admittant, ac circa æva præterita? cum miseranda tot Infantum, Variolis oppressorum, Strages asserti hujus veritatem satis refellat; quamquam non eamus inficias, auctam Seculi hujus nostri in Re Medicâ Prudentiam majores longè & accuratiores ad Pathologiam simul ac Therapevticam accessiones fecisse, quæ caligantia Antiquorum Secula omninò latuerunt.

§. 15. Quinta Sententia est FRANCISCI DE LE BOE SYLVII, qui, postquam in eligendâ verâ Variolarum Causâ modò huc modò illuc fluctuaverat, tandem earum sedem præcipuè in Glandulis Renalibus figit, ita quidem, ut Causam Materialem in Acidô; Procatarcticam verò, partim in Aëre malè dispositô, partim in Alimentis peculiaribus, quibus plures Infantes in unâ eâdemque domo fruerentur, partim in Terrore, quærit; (87) cui Calculum adjiciunt CARTESIANI, particulas Acidas ex Aëre haustas pro Causâ Morbi hujus venditantes. At enim verò: Cum 1. ipse Sylvius fateatur, (88) verum Glandularum Renalium seu Renum succenturiatorum, Capsulæ Atrabilariæ nòmine vulgò indigitari solitorum, usum adhuc ignorari: Quô argumentô Statum ipsorum Præter-Naturalem seu Abusum, sine

(87) l. c. §. 39. sqq. (88) l. c. §. 44.

erroris suspicione, notabit? præprimis, cum nemo hactenus, quotquot etiam Physiologos evolverim, Glandularum istarum usum legitimum Studiosè explorare potuerit; quarum tamen examen peculiari, quem DEO volente circa hancce Materiam paramus, Tractatu, quoad Genius noster nobis indulgebit, propediem instituemus. Unicum hoc jam dixisse sufficiat, earum Usum neutiquam esse noxium, nilque minus, quam Variolarum generationem, intendere.

2. Quod Acidum attinet, ejusdem in quamplurimis Morbis imperium tam latè patet, ut in Variolis quoque excludere illud nequeamus: Quoniam verò Causæ illius determinatio nimis generalis est, injurii foremus in Pathologiam Medicam, si pro Speciali seu Materiali proximâ Variolarum nobis sufficere gloriaremur. 3. Causæ procatarcticæ, â Sylviô allegatæ, itidem vel nimis generales, vel admodum

dum dubiæ ſunt. (89) Hinc non immeritò eas circa hoc argumentum reprobamus, cum minus deceat Medicum, conjecturâ inani duci.

§. 16. Sexta Sententia eſt HELMONTII, (90) venenum peculiare ab Archæô in Corpore Humanô fabricatum accuſantis; quod GEORGIUS HORNIUS (91) Venenum innominatum appellat. Ignoſcent autem tanti Philoſophi, ſi ipſis opponamus, 1. Petitionem Principii, quam in probandô Venenô illô vel maximè præſupponendam eſſe cenſemus. 2. Cauſas occultas, præcipuè in Pathologiâ Medicâ limatiori, Aſylum eſſe Ignorantiæ.

§. 17. Septima Sententia eſt PARACELSISTARUM: Cauſam Variolarum proximam â Sulphure, Sale & Mercuriô deducentium, (92) quæ

(89) vid. §um præcedentem. (90) vid. Dolæus l. c. p. 116. (91) in Arcâ Moſis, p. 121. (92) Conf. Dolæus l. c.

quæ tamen hypothesis 1. Fundamentis maximè lubricis & incertis nititur, eò quod dePrincipio illo Triplici generali adhuc sub Judice lis sit & â quamplurimis pro Chimærâ habeatur. 2. nimis pariter generalis est; omnibus quippe Morbis communis; indeque Causæ Variolarum proximæ titulô indigna. 3. Dubia meritò reputatur; cum non designetur, cuinam Principio propriè adscribenda sit Variolarum Origo; Impossibile autem videatur, ut ex omnibus tribus, sibi contrariis; simul, ac unô eôdemque tempore & in omnibus subjectis, Morbi hujus causa producatur: unde magis proficuum ducimus; Opinionem illam, utpote paulò obscuriorem, & si verum fateri liceat, intellectui summorum etiam Philosophorum perarduam, prorsus negligere.

§. 18. Octava Sententia est KENELMI DIGBÆI, qui Causam Morbi in Sanguinem, post Partum in Vasis Umbilicalibus residuum & Stagnantem transfert; unde etiam, Infantem

fantem numquam Variolis infestatum iri, contendit; modò eidem, jam in lucem edito, recens ille Sanguis, post factam ab Uterô Maternô separationem in Funiculo Umbilicali adhuc residuus, antequam, more consuetô, abscindatur, â Corpore versus secundinas retropellatur, Sicque Funiculus statim discindatur & Sanguini adeò corrupto in Funiculô existenti ad Sanguinem purum in Corpus ipsum regressuro ponatur obex. (93) Opinioni tamen huic contradicit: 1. Ipsa Experientia, quâ duce Arcanum illud Digbæanum, quod, ut multa alia Nobilissimi Digbaei, Oraculorum instar, admirari ac venerari consueveram, infantibus recens natis, sanè non paucis, administrari jussi, sed conatu prorsus irritô, cum eosdem Variolis quoque perindè, immo gravius multò, ac alios, ordinariô more post Partum tractatos, paulò post decubuisse frequentissimè observaverim. Consentaneum hâc in parte habemus Dolæum; qui idem Experimentum frustra hactenus tentavit

(93) Medicin. Experimental. Digbæanâ P. I. p. 56. s.

tentavit (94) 2. quod ~~idem~~ ille Sanguis, qui statim post Partum in vasis Umbilicalibus adhuc remanet, æqualis planè Naturæ sit cum istô, qui tempore Gestationis in Embryone ex Placentâ Uterinâ circulabatur; unde vix absurditate careret, si statuamus; in momentô Partûs Sanguinem alias vegetum, extemplò corrumpi; immo credendum potius foret, fomitem Morbi, â Sanguine corrupto derivandum, non tam in Vasis Umbilicalibus, quam in ipsô Corpusculo, delitescere, indeque non adeò facile retropelli posse.

§. 19. Nona Sententia spectat ad EOS, qui Variolarum Causam in repetito, post Conceptionem semel factam, Concubitu & iterata Venereâ Libidine ponunt; (95) vix tamen applausum meretur; 1. Cum hâc ratione Liberi eorum, quibus Officii Ratio imperat, ut statim post Nuptias peregrè abeant

(94) l. c. p. 118. (95) Vid. Dolæus, l. c. p. 118.

abeant & uxorem gravidam relinquant (quod frequentissimè Militibus, Nautis & aliis contigisse, Exempla mille confirmant,) à Variolis immunes forent, Experientiâ hactenus refragante. 2. quod Embryo in Utero Materno delitescens, duabus, aut, ut alii volunt, tribus Membranis inclusus ab omni Injuriâ externâ adeò munitus sit, ut, si vel maximè in Semine Virili (quod tamen Substantiâ suâ ad Uterum ipsum neutiquam ascendere aut penetrare posse, inter Anatomicos ac Physiologos res prorsus confecta est) aliqua impuritas aut Spurcities hæreret, (quod ipsum tamen probandum est) Fœtum sane non attingeret.

§. 20. Restat denique Decima Sententia, JOHANNIS DOLÆI, qui receptam hactenus Opinionem de Fermento quôdam, nobis connato, Variolas excitante, deridet, ex eô quidem argumentô, quod impossibile esset, ut tale Fermentum in Tubulis Machinæ Corporeæ tamdiu quiesceret, indeque Morbum hunc

non

non aliô modô fieri, ac Febres reliquas, ſtatuit, eâ ſane methodô; ut particulæ Acido-Salinæ Volatiles in Maſſam Sanguineam, ad Fermentationem ex Cauſis vel Naturalibus ſeu Intrinſecis, vel Non-Naturalibus ſeu extrinſecis, diſ-poſitam, impingentes, Materiam il-lam ſuſcitent & puſtulas Varioloſas generent. (96) Sed ut verum fateamur, Vir ille judicioſiſſimus, (qui auctoritate Nominis ac Eruditionis inſignis, eam, quam ſibi arrogavit, Libertatem Philoſo-phandi aliis, etſi ſe longè minoribus, non invidebit; quum ſub ſordidô quoque palliô quandoque lateat Sapientia;) ſibi non ſatis conſtans, paulò poſt (97) pluribus argu-mentorum ponderibus comprobat, Vari-orum Affectuum Semina vel Fer-menta innoxiè in Corporibus delite-ſcere & per improviſam quandam occaſi-onem non raró exſuſcitari; ſibique adeò ipſi circa Sententiam de Facultate Fermenti per longum temporis decur-

(96) l. c. & p. ſqq. (97) l. c. p. 120.

ſum in Corpore quieturi, contradicit: Quidni enim Variolarum Seminium Fermenteſcibile tam longam in Corpore Humanô nectere moram, tandemque recrudeſcere posſet, perinde ut cætera Morborum aliorum ſic dicta Fermenta? 2. Si Variolæ, Febrium inſtar, ab Acido-Salinô volatili Fermentô, in Corporibus latitante, generentur; necesſe eſt, ut, eâdem lege, ſimul ac Febres ſæpius per vitam in unô ſubjectô redeant; quod tamen vel rarò vel nunquam (Eæ enim, quæ duplicem aut ternam recidivam æmulantur non veræ, ſed analogæ tantummodò ac Spuriæ Variolæ ſunt;) fieri, Experientia teſtis eſt. Quibus ea, quæ jam antè de hâc Materiâ monuimus, adjicere & huic pariter Sententiæ opponere, proficuum ducimus. De cæteris autem ultrò largimur; Fermentum Acidum in Corpore Humanô deliteſcens, ad Variolarum fœturam non parum quidem conferre; attamen ſub cauſae tantum

remo-

remotæ, non proximæ, Charactere, utpote quô illud plane indignum judicamus.

§. 21. Nihil jam ſupereſt, niſi ut, rejectis Sententiis hactenus receptis, noſtram quoque Orbi Erudito offeramus Symbolam; indeque univerſas circa Variolarum Naturam aut Symptomata obortas difficultates facilè diſcuti poſſe demonſtremus, ne, juxta vulgatum illud: ῥᾴδιον μωμῆσθαι ἢ μιμεῖσθαι· protervitatis aut naſutæ petulantiæ criminis arguamur.

§. 22. Materiam itaque ſeu Cauſam Variolarum remotam, Acidum Fermentativum: Proximam veró Vermes, ſeu, Seminium Verminoſum, nobiscum natum & in Uterô Maternô unà cum Succô Nutritiô implantatum, aſſerimus; ſequentibus potiſſimum Argumentorum radiis affulſi.

§. 23. Primum ſuppeditant, Experientiæ & αὐτοψίας Teſtimonia quamplurima, Luce Meridianâ clariora;

 dum

dum non modò, præteritô abhinc feculô CHRISTIANUS LANGIUS, (98) AUGUSTUS HAUPTMANNUS, (99) PETRUS BORELLUS (100) obſervaverint; Variolarum Puſtulas nil aliud esſe, quam Hoſpitia ſeu Receptacula Progeniei ac Effluviorum verminoſorum, Acaris ſimilium & multipedarum, acutisſimis roſtellis inſtructorum; ſed ipſe ego, quod ſanctè teſtor, in Epidemiis hiſce Variolis, Curioſitati meæ ut ſatisfaciam, Materiam purulentam ex Variolarum Puſtulis egresſam, Microscopiis pluribus (quorum copia mihi dabatur) frequenter perluſtraverim & accuratè examinaverim; ibidemque quamplurimos Vermiculos minutisſimos, Acarorum (quos Scarabæorum figuram gerere jamdudum demonſtravit Boyle) [101] Speciem præ ſe ferentes, albicante & pellucidô Corpus-

(98) Diſp. de Morbillis §. 59. f. 68. (99) Epiſt. ad Kircherum de vivâ Mortis Imagine. p. 200. (100) Obſerv. Med. Phyſic. 31. (101) Libr. de Mirâ Effluviorum ſubtilitate p. 2.

pusculô, Capite & pedibus (quorum sex numerabam) pilosis instructos multâ cum admiratione observaverim; Unde Verbis vix opus esse reor, ubi rerum adsunt Testimonia.

§. 24. Reliqua argumenta depromuntur ex alterô Sapientiæ Fulcrô, Ratione scilicet, atque Naturâ ipsâ. Nam 2. certum est; Variolas, Febrium Acutarum, ac Epidemias quidem, Malignarum seu Petechialium, Mores, ratione Symptomatum, imitari; utpote quod omnibus Practicis compertum est, adeòque probationis non eget; Unde & in Variolis Epidemiis, nonsolum aliis, sed imprimis etiam præteritis Annis grassantibus, vel Purpuram Miliarem, vel Petechias, plerumque intermixtas deprehendimus; Febres autem Acutas & præcipuè Malignas pro Causa suâ agnoscere Vermes, inculcârunt hactenus ad crambem usque Clinici, aliique Naturalium Rerum Scrutatores. Hinc Paulus Ammannus,

(102) Sputum Plevriticorum & Sanguinem Malignâ Febre corruptorum, infectis minimis repletum, testatur. De Vermibus, in Febribus, Putridis æquè ac Malignis, excretis narrant, Valesc. de Taranta, (103) Forestus, (104) Athanasius Kircherus, (105) Langius, (106) Hauptmannus, (107) Horstius; (108) In Febre Ungaricâ ê Capitibus Mortuorum Vermes prorupisse, memorant Conradinus (109) & Volcherus Coiter: (110) Pesti semper conjunctos esse Vermes, consentiunt Salmuth, (111) Cornelius Gem̃a, (112) Zacutus Lusitanus, (113) Bo-

(102) Parænes ad Discentes circa Instit. Med. Emendat p. 129. (103) Philon. Pharmacevt. Chirurgicô L. 4. c. 30. (104) Observ. Med. L. 6. Observ. 4. & 5. (105) Scrutin. Pest. c. 8. *Sect.* 1. & in Art. Magnâ *Lucis* & Umbræ L. 10. Part. 2. pragmat. 2. (106) l. c. (107) l. c. (108) Epist. Medic. Sect. 18. p. 498. sqq. (109) de Febrib. Malign. c. 11. (110) Append. Observ. Chir. & Anatom. (111) Observ. Med. Cent. 3. p. 173. (112) Append. Oper. Cosmocrit.
(113) Prax. admirand. *L.* 2. Observ. 42. & Hist. Princ. Med. *L.* 4. hist. 46. quæst. 42.

Borellus, (114) Dn. de Monconnys, (115) & ex professô Kircherus, (116) cui Sententiæ nec refragatur Dolæus, (117) sed defendit potius; Vermes, perinde ut ipsam Pestem, ex particulis acribus & volatilibus constare. Quidnî ergò Variolæ dicerentur etiam Verminosæ? cum non modò Febrium acutarum naturam æmulentur, sed ex ipsâ Dolæi quoque Confessione, itidem particulis acribus, volatilibus acceptæ ferendæ sint. (118)

§. 25. Accedit 3. quod plures alii Morbi pustulosi ac purulenti, Variolis quoad externam figuram non absimiles, Vermium scaturiginem & hinc oriundos sensibiles dolores vel maximè deplorent: Sic Scabiem, tam simplicem, quam Veneream, oppidò plures monstrare Vermes, observat Borellus (119) &

(114) l. c. Observ. 79. (115) Itiner. Tom. I. p. 178. (116) l. c. & de Peste Sect. 2. c. 4. p. 239. (117) l. c. L. 4. Cap. 5. p. 85. (118) l. c. Cap. 6. p. 117. (119) l. c. Observ. 32.

& Kircherus, (120) qui in Scabie Venereâ Vermes, Limacum inſtar, vidit, tantæ fœcunditatis, ut intra dimidiam horam ad 50. alios ſibi ſimiles partus effuderint. De Herpete idem refert Ammanus; (121) & in Ulceribus Vermes pullulaſcere, indeque foras ejici, pro re, minus novâ, venditat Sennertus; (122) quapropter, cum, juxta tritum illud: Similium ſit eadem ratio; Variolæ verò cum Scabie & Ulceribus magnam conformationem faciant, vix aliam, in illis, quam in his, inveſtigare Cauſam tenebimur.

§. 26. Et, 4. quid multa? Sane, qualis Cauſa, talis effectus. Ipſe autem Sanguis noſter vel maximè Verminoſus eſt; quod non tantum Borellus (124) atque Joannes Rhodius, dudum detexerunt; ſed & Ephemeridum Medico-Phyſicarum Germanicarum

(120) Mund. Subterran. L. 11. Sect. 1. cap. 10. fol. 352. (121) l. c. (122) Inſtitut. Med. L. 2. Part. 3 Sect. 1. Cap. 11. p. 312. (123) l. c. Cap. 3. Obſerv. 4. p. 198.

rum Curiosarum Collectores, peculiari Observatione, (124) infinitis testimoniis prolixè pertractârunt; insimulque Mictionis Verminosæ Causam, alioquin arduam, ex hôc Capite facillimè evolvi posse, eruditè satis deduxerunt. Locum hoc imprimis invenit in Sanguine impuriori; unde Phthiriasin & Crinonum seu Comedonum Morbum, ac utriusque originem, manibus quasi palpamus. (125) Quid? quod ex eôdem fonte non adeò absurdè aliqui in Semine ipsô Virili, tanquam Liquore ê Sanguine Humanô secretô, Vermiculos vigentes & agiles notaverint; ex quâ Hypothesi forsan, & corruptô Semine in Uterum Muliebrem immissô, Molæ sic dictæ Volatilis, Belgis familiaris & vulgò Suygers dictæ (cujus meminerunt Ephemerides prædictæ Germanicæ (127) & ad ipsius indagationem

(124) Annô primô s. 1670. Observ. 50. p. 147. seqq. ejusque Appendic. p. 23. (125) Vid. Paul. Ammannus l. c. p. 128. (126) Vid. Löscher. Phys. Experimentál. L. 3. cap. 5. qu. 16. p. 148. (127) Annô II. s. 1671. Observ. 160. p. 255. sqq.

Naturæ Amasios invitant) ratio reddi posset. Quicquid hujus sit; certè Pathologia ista Animata, (ita enim loqui amat Ammannus)(128) Ceu Mater plurimorum Morborum nos latentium, indicat, nihil monstri alere celebratam istam Opinionem, Variolas pro causa suâ verâ & proximâ agnoscere Verminosam Progeniem; eò quod Propaginis hujus Verminantis, in Sanguine, immò semine Parentum, delitescentis, Seminium aut ovula (quemadmodum Acaros nasci, autoritate Boylii, ostendit Sturmius) (129) facilè in Embryonem transplantari & cum eôdem in Uterô unà per Circulum Sanguinis Materni communicari atque sic, successu temporis, in ipsô quoque Fœtu vivida reddi valeant; præcipuè cum & ipsum Embryonem, ob consensum cum Massâ Sanguineâ Matris Variolis correptæ, in Utero sæpius eôdem planè Morbô

(128) l. c. p. 128. s. (129) Phys. Elect. L. 1. Sect. 1. c. 2. p. 22.

Morbô correptum fuisse, Observationes Medico-Historicæ oppidò plures confirment, (130) & in eam Sententiam tota ferè Medicorum accuratiorum cohors inclinet, Vermes, non ex putredine, (quemadmodum cæcutientes Generationis Æquivocæ Apologetæ olim delirarunt] sed ipsis Vermium ovulis, cum cibô & alimentô deglutitis, [quamvis nimis frivolè hanc Sententiam derideat Jackson,) (132) aut per Fomentum Fermentativum fœcundatis exclusisque, oriri ac reviviscere. (133)

§. 27. Lucem porrò fœneratur Opinioni nostræ, 5. Variolarum effluvia spirare odorem acidum, & eundem quidem, quô Lac corruptum & acescens nares nostras ferire solet. Notum autem est, Vegetabilia, ac præcipuè Fructus Horarios, ex iisque parata, Car-

(130) Conf. Dolæus l. c. p. 110. f. 112. Ephemerid. Curios. Germ. Annô l. 3. 1670. Observ. 53 p. 150. (131) Conf. *Dolæus* l. c. p. 419. (132) Enchirid. *Med.* C. 27. p. 96. (133) Vid. Sperling. Instit Phys. L. 6. c. 2. quæst. 2. p. 998. sqq. Huc etiam referatur §us. sequens.

Carnes & omnes Corporis Animalis Humores, maximè tamen Lac & Sanguinem, ob diversitatem particularum, ex quibus Corpora illa composita atque mixta sunt, & abundantiam partium volatilium & Subtiliorum Sulphureo-Salinarum ocyus ad Putredinalem Fermentationem disponi, eò quod particulæ illæ diversæ, eæque subtiles ac volatiles, facillimô negotiô in motum cieri & â se invicem dissolvi & secedere possint; Unde tandem, evanescentibus particulis volatilioribus, corrumpuntur seu putrescere incipiunt, ingratô & fœtidô Sapore atque odore superstite. (134) Istius porrò putredinalis Corruptionis consectarium certissimum Vermes sunt; non, ac si â materiâ illâ putridâ æquivocè progignantur; Sed, quia Seminium istud verminosum, ovulis suis specificis inclusum, quod vel nobis unà cum Sanguine Maternô implantatum atque conna-

(134) Conf. Du Hamel. de Consensu Vet. & nov. Philos. L. 4. c. 5. p. 782. Sturm. l. c. p. 713. 716. Blancard. Lex Med. p. 365.

connatum, vel â nobis ipsis simul cum alimentis varii generis haustum est, sui juris jam fieri incipit & partim per Motum illum Fermentativum excitatur & juvenescit, partim, exhalantibus particulis Spirituosis, Corpus naturaliter â putredine conservantibus, relaxatis nunc quasi habenis, magis se expandere & augere potest, partim, exhaustis acrioribus particulis volatilibus Sulphureo-Salinis, alimentum, sibi magis congruum, nanciscitur; unde &, pro diversitate victûs, quô communiter uti solemus, tot tamque diversas in Corporibus, præcipuè humanis, notamus Vermium Species; immò & augmentum quoque Vermium, eorumque dejectionem copiosam, in Marasmo, vel Febribus, meritó suspectam præsagiunt Practici; (135) quandoquidem manifestum inde emergit Signum, particulas Spirituosas, magisque Sulphureas volatiles, cessare indies, &, acido-viscidis

(135) Conf. Dolæus l. c. p. 420.

dis humoribus vapidis criſtas erigentibus, inſtans Mortis Fatum portendi. Indicium itaque Corruptionis hujus eſt Aciditas, cujus præſentiam, vel Lac, vel Vinum, vel Cereviſia, vel Carnes, corruptioni vicina, ſubacidô, inſimulque graveolente, odore atque Sapore arguunt. Hinc in Lacte, & inprimis Acido, Borellus (136) & Kircherus, (137) innumeros Vermes; in Caſeo, ejusque Pulvere innaſcente, Prodigioſum Animal, Hyſtrici ſimile, hiſpidum & ſquammis obductum, Cornicula habens & tres in caudâ aculeos, idem Borellus (137) ac Nicolaus Fontanus; (138) in Lardo Veteri Vermes Oculis & villis horridos ac innumera alia animalcula alterius figuræ, itidem Borellus; (139) in Carne, radiis Lunaribus per noctem expoſitâ, & eâ quidem parte, quam radii iſti

(136) l. c. Obſerv. 5. (137) Mund. Subterraneô L. 12. Sect. 1. c. 10. fol. 352. & Sect. 2. c. 1. fol. 357. (137) l. c. Obſerv. 27. (138) Obſ. Med. Analectis, Obſ. 1. Ephemerid. Germ. Curioſ. Anno 1670. Obſ. 13. p 54. (139) l. c. Obſ. 14.

isti tetigerant (forsan ob Temperamentum Lunæ Humidum, ratione cujus ea â radiis Solaribus, mediante repercussione, affulsa & novis quasi viribus locupletata, humores in Carne residuos facilè resolvere & sic ad putredinalem Fermentationem disponere apta est) Vermiculos quamplurimos diversæ quantitatis Kircherus (140) & alii attestantur. De Aceto ipso adhuc sub Judice Lis est: Quamquam enim in eôdem Borellus, (141) Joh. de Mey, (142) Goedartius, (143) Dominicus Panarolus, (144) Andreas Baccius, (145) Thomas Bartholinus, (146) Franciscus Pona, (147) Joh. Nardius, (148) Patersonius (149) Leevvenhoeckius

(140) de Peste Sect. 1. c. 7. §. 2. Experim. 1. p. 70. (141) l. c. Observ. Microscop. 1. (142) Comment. Physs. in Pentatevch. Mos. c. 4. (143) de Insect. 5. Metamorph. Natur. p. 52. (144) Observ. Medicinal. Pentecost. 4. Observ. 36. (145) Hist. Natural. Vinorum. L. 1. c. 23. & de Thermis L. 6. c. 21. (146) Hist. Anatom. Cent. 4. Hist. 13. (147) Academico-Med. Saturnal. Frol. 8. (148) Noct. Genial. noct. I. p. 75. (149) Ephemerid. Germ. Curios. Anno 1671. Obs. 27. p. 54.

us, (150) Hookius, (151) Boyle, (152) & alii, (153) *Vermes* ſtatuant; diſcrepant tamen adhuc inter ſe utplurimum; aut circa Figuram, quam alii Serpentiformem, alii longiuſculam, alii argenteam, inſtar piſciculorum, deſcribunt (154) aut circa Locum Natalem, dum Bartholinus Acetum aquæ limpidæ mixtum; Nardius illud, quod ex vappâ & vinis debilibus conficitur, non autem, quod ex generoſioribus vinis ſuboritur; Panarolus omne Acetum indiſtinctè; Paterſonius Acetum Peſtilentiale, Boyle *A*cetum aliquod peculiare, (cujus tamen famam denegat, ſed apud ſe ſervare contendit, quum reliquorum Acetorum omnium Experimenta, inter ea, quæ non ſuccedant, numeret,) requirunt. De cæteris, quamvis Microſcopiis, præſertim in Re Anatomicâ

(150) Arcan. nat. detect. (151) Micrograph. (152) Tentamin. Phyſiolog. p. 154. (153) Conf. Ephemerid. Germ. Curioſ. l. c. & Anno 1670. Obſ. 13. p. 48. Löſcher. l. c. *L.* 1. c. 1. qu. 5. p. 3. (154) Conf. Ephemerid. Cur. Germ. l. c.

micâ non semper fidendum esse, Theodorus Kerckringius, (155) sub aliquâ Veritatis Specie asseruerit; neutiquam tamen fallemur; modò Microscopia accurata, bonæque notæ, (quorum Selectum oculatioribus relinquimus) adhibeamus. In hâc igitur Auctorum perturbatione atque confusione Curiositas me adigebat, ut, quid in tantâ rerum Caligine vero consonum esset, explorarem. Conquirebam hinc pro obtinendô illô Scopô undique, maximô, quô par erat, Studiô omnis generis Aceta admodum varia, tam Vini, quam Cerevisiæ, partim simplicia & naturalia, partim factitia & composita, nec Aceti quidem Pestilentialis obliviscebar; ibidemque Vermes, ab aliis visos, mediantibus Microscopiis pluribus maximè lucidis, ipse quoque observare sperabam; Sed conatu prosus irritô, cùm in nullô unquam Acetô quicquam conspexerim, si duo illa, Rubi Idæi & Cerasorum, (quorum tamen utrumque vetustius esse oportet; nam in

F recen-

(155) Spicileg. Anat. Observ. 93. p. 177.

recentioribus Experimentum non ſuccedebat,) excipias, ubi plures vermiculos ſerpentiformes, corpuſculô albicante, capitulô verò rubrô, eosque agillimos & hinc ac inde ſeſe vibrantes, offendebam; eô nomine forſan felicior, ſi Boyleani Myſterii clavem fortuitò invenerim, quam tamen Orbi Curioſo non invidebo. Illud interim ſine controverſiâ eſt, ex Lactis & Fructuum horariorum putredinali Fermentatione & abhinc enatâ aciditate, Lumbricos Infantum inſigne augmentum capere, quod non tantum quotidiana edocent Exempla illorum Infantum, qui multô Lacte & deliciis ejusmodi ſaginantur, indeque multò obeſiores redditi, Lumbricorum proventu macilentos longè ſuperant; obſervante jamdudum Kircherô; (156) Sed Oris etiam Fœtor putredinalis, Lumbricorum indivulſus Comes, ſatis indicat.

(146) *Mund. Subterran. Sect. 2. c. 7. fol. 370.*

cat, Quid? quod ejusmodi Aciditatem Volatilem, ex Fermentatione Putredinali ortam, in Febribus Malignis Caſtrenſibus, ut Cauſam proximam, accuſet Bernhardus Ramazzini, Italus. (157) Atque hoc ipſum eſt, quod Acidi in Variolis Defenſoribus ſuperius concesſimus; illud utique non parum conferre, Morbique iſtius aliquam esſe cauſam, ſed remotam, quæ ſcilicet putredinali Fermentatione, ibidem excitatâ, Seminium verminoſum occultum hactenus, tamquam Cauſam proximam, reſuſcitet, ſicque Variolis, ac inprimis quidem, Epidemiis Malignis, recrudeſcendi anſam ſuppeditet eò faciliorem.

§. 28. Eximium ſanè Puſtularum in Variolis obviarum & ferè prorſus analogum exemplum 6. offert nobis Natura in Siliquis recentibus, quæ, quamdiu ſine labe perdurant, terſæ, po-

(157) Vid. gelehrt. Medicum p. 382.

tæ ac læves manent: Quamprimum autem intus verminosæ fiunt; clausæ etiam crustam exteriorem ulcerosam &, quasi leprosam, ostendunt ex eâ parte Corticis sui, sub quâ Vermes latent, tandemque planè marcescunt: quod Phœnomenon, cujus veritatem non unâ vice notavi, Variolarum naturam accuratè satis exhaurit, & insignem æqualitatem confirmat, eò quod Corpora, Sanorum adhuc & vegetorum, nitida atque glabra antea, â Variolis, earumque progenie Verminosâ, in Sanguine latitante & dolorificè Partes Corporis externas vellicante & admordente, pustulosa, ulcerosa & fœda reddantur, Inde, cum Entia præter necessitatem multiplicanda non sint, vix penetrare ausim; Cur Naturæ Cursum, quem in unô Corpore servari cernimus, in altero Corpore frivolè rejiciamus?

§. 29. Nec 7. minorem deprehendemus Harmoniam, si Variolarum

rum Symptomata cum illis, quæ in Lumbricorum Morbis occurrunt, conferamus, adeò ut vix Ovum ovo videatur similius. Quid enim Respiratio difficilis, Anxietas circa Præcordia, Febris, (frequentius etiam maculosa) Vellicatio Narium, Halitus fœtens & acidus, Tussis, Dentium Stridor, Vultus pallidus & ægritudinem præ se ferens, Oculi rubentes & lacrymosi, quandoque profundius siti & circulô cæruleô cincti, Appetitûs, modò Excessus, modo Defectus, Nausea, Vomitus, Dolor, Tormina & Distensio Abdominis, Sanguinis extenuatio, Sitis, Tremor frequens, Convulsio, Epilepsia, Urina alba, Dolor Capitis, Dorsi & Lumborum, Lassitudo Membrorum dolorosa & languor notabilis, Alvus jam obstru-

cta, jam ſoluta, Syncope, Pulſus citatior, Ptyaliſmus, juxta celebratisſimorum Clinicorum Sententiam, aliud ſunt, quam Signa Lumbricorum Diagnoſtica? (158) quæ tamen, ſi non omnia, certè pleraque, ex Conſenſu omnium Medicorum pro individuis Variolarum Comitibus habenda esſe, ſupra prolixè declaravimus. (159) Hinc, ſi ſimilem gaudere ſimili rectè olim pronunciaverit Antiquitas, æqualitatem utriusque Morbi vix diſputare licebit.

§. 30. Adjungimus 8. Medicamentorum, utrique huic Morbo, Lumbricis ſcilicet atque Variolis, dicatorum, &, ex Mente Practicorum felicisſimorum, utramque velut paginam facientium, comparatio, quæ Amaris, blandis acidis, correctioribus Mercuria-

(158) Vid. Dolæi Encyclop. Med. P. 2. p. 419. Jackſon Enchirid. Med. Theor. Pract. p. 96. Forbigerus im vernünfftigen Medicô p. 436. & Sexcentos alios. (159) §. 4. ſqq.

curialibus & Cinnabarinis, abſolvitur. (160) Aſt, cum Effectus utplurimum de Cauſâ teſtari ſoleat, Variolæ autem eandem Medendi methodum requirant, ac ipſi Lumbrici; vix utriusque Cauſam Vermes eſſe negaveris.

§. 31. Agmen denique 9. claudit, facilis Scrupulorum omnium (quibus reliquæ & hactenus recenſitæ Hypotheſes ſatisfacere minus poterant) evulſio, atque tot tamque variarum Opinionum Conciliatio. Innoteſcit enim inde I. Cur aliqui citius, aliqui verò tardius, per ætatem ſuam Variolis corripiantur, adeòque Seminium illud Varioloſum tamdiu ſæpius lateat? cum apud alios Maſſa Sanguinea, ejusque promus Condus Chylus, magis ad aceſcentiam & diſpoſitionem Putredi-

(160) Conf. Jackſon. l. c. p. 97. collatâ cum p. 149. Vid. etiam Cap. ſequens.

tredinalem inclinent, iique hinc magis ad Vermium generationem & culturam proclives sint; victum etiam Germinatui Verminoso aptiorem capiant præ aliis; unde Germen illud vermiculans in aliquibus augetur, in aliquibus verò minuitur atque hinc Fermentum illud sic dictum Verminosum, ex Uterô secum allatum, modò citius, modò tardius, modò copiosius, modò parcius, recrudescit, pro variâ scilicet &, vel adauctâ vel imminutâ, ad ipsum Dispositione Naturali atque insitâ. Pertinet huc Objectio: Infantes, nullô etiam Lacte nutritos, Variolis nihilominus infestari; eò quod Fermenti istius Verminosi, â quô nemo Mortalium, (quod tamen Physicè, non Moraliter, utpote cujus prærogativæ Encomium, quibusdam Hominibus tantum solenne & speciale, aliis dijudicandum relinquimus, & suô cujuscunque modulô metiendum erit, intellectum velimus) immunis est, Seminium, unicuique jam in Uterô implan-

plantatum ſit atque adeò corrigi quidem, neutiquam tamen eradicari, valeat; nec Lactis uſus plus ad Variolarum generationem conferat, niſi ut earundem Materiam proximam, Vermes ſcilicet, vel in Corporibus ſaginatis revolvat, vel augeat ſanè atque alat. 2. Cur Variolæ inficiant? quandoquidem eæ, perinde ut Scabies, Fermentum illud Verminoſum, etiam in aliis, & maximè quidem ſimilitudine eâdem Temperamenti & ortâ hinc ad eundem Morbum faciliori diſpoſitione gaudentibus, excitant & propagant, cujus rei exemplum clariſſimum offerunt Excrementa Spurca ſeu Sordes Muſcarum majorum, tempore inprimis æſtivô, (vulgò, der Fliegen-Schmeiß) ex quarum minutiſſimâ etiam commaculatione totum, cui admoventur, Corpus paucô tempore abit in verminoſam putredinem, non aliô ſane ex argumentô, niſi quod Excrementa illa Muſcarum, quæ ex vermiculo-

 rum

rum ovis constare compertum est, (162) Fermentum verminosum, in Carnibus pariter delitescens & occultatum, mediante calore, exsuscitent atque sic, auctâ indies putredine, in quantitatem penè innumeram Vermium excrescant: ubi inprimis notandum est, quod verminosa ejusmodi pullatio magis procedat in Corporibus teneris & mollibus, v. g. Gallinaceis, Vitulinis, Agninis, &c. quam firmioribus atque compactioribus, utpote, Bubulis, Vervecinis, & sic porrò; cum illa magis ad teneritudinem ac mollitiem Muscarum accedant, quam hæc; quorum firmior compages tantâ facilitate Fermenti verminosi seu Ovulorum muscariorum fomentationem haud admittit. Atque idem prorsus in Variolarum Propagatione verminosâ contingere, veritati maximè congruit. 3. Cur in Consanguineos vel maximè grassetur? Scilicet, ob æqualitatem pariter Naturæ & Temperamenti, quod ex eôdem Latice Sanguineô, in Uterô Maternô primitus sibi impressô, scatu-

(162) Conf. Ephemerid. Germ. Curios. Ann. 1670. Obs. 13. p. 51.

ſcatuerat, itidemque Victûs, tam interni, intra Cancellos Embryonales ipſis Corporibus â Matrę unà cum Circulô Sanguinis inſtillati, quam externi vel in Uterô per Suctionem vel extra eundem per alimenta reliqua hauſti. Patet id exemplô Nutricum, quarum Infantes proprii, Variolis correpti, extemplò eôdem Morbô inficiunt adſcititios ac adoptivos lactentes, non aliâ ex Cauſâ, niſi quod Infantes peregrini cum Germanis Liberis ob concentum victûs Lactei, quô hi olim fuerant uſi lacteoli, in eandem Naturam ac Temperamentum nunc degenerent: Immò ob eandem rationem Embryones, in Uterô jam â Matre Varioloſâ infectos, rudera ipſa ſecum attulisſe relatum legimus. Elucet id potisſimum in Peſte, cujus virus Conſanguineos inprimis, aut illos etiam, qui ejusdem cum Ægris, Peſte correptis, Naturæ, Conſtitutionis ac Temperamen-

ramenti ſunt magis occupat ac celerius, quam peregrinos alios, vel diverſo temperamento præditos. (163) 4. Cur ex Fermentô hôcce verminoſô propriè Variolæ, nec alii Morbi, naſcantur? Eôdem enim modô, quô Verminoſa ejusmodi Progenies, in Scabie, Lue Venereâ & aliis ejusmodi Affectibus Cutaneis, per Infectionem propagatis, præciſè in illum ipſum, nec alium, Morbum degenerat; ita etiam Semen illud verminoſum prolificum ejusque peculiaris & Specificus character in Utero Materno Embryoni impresſus & morboſâ illâ Fermenti verminoſi Diſpoſitione ditatus, illam tantum Morbi Speciem, ad quam aptus eſt, producit, nec ullam aliam: Cujus tamen Phœnomeni effectum planè contrarium teſtantur Humores noxii generales; Acidus, Acris, &

(163) Vid. ſupra Problem. 2.

& ejusdem conditionis; quorum habitudo in Morbos varii generis flexilis, modò hanc, modò aliam Morbi faciem in Corpore Cachectico repræsentare potis est. 5. Cur utplurimum unicâ tantum vice per totam vitam Variolæ occupent hominem; nec facilè, sicubi semel crudelitatem suam verè exercuerunt, recidivent? eò quod Natura, â spurco ejusmodi Seminio liberata, perinde ut in Scabie aut Lue Venereâ funditus curatâ, hanc sarcinam deposuerit & expurgata sit; unde quoque illi, qui Scabiosi sæpius fuerunt, non adeò facilè ab eâdem iterum inficiuntur, quinimmò mitius Variolis infestantur, (164) cum Pars pullationis istius verminosæ haud exigua inde enecta sit; Secus ac in aliis Morbis, quorum humores heterogenei facillimè, ex renovatâ quâdam Intemperie, recrudescunt & pristinam sedem suam occupant.

§. 32.

(164) La Commare del Scipion Mercurio p. 752.

§. 32. Atque ſic Verminoſam Variolarum Proſapiam, tamquam cauſam earum proximam, quæ ſcilicet ex alimento Materno, in Utero hauſtô, nobis connaſcatur ac extra Uterum per Fermenti illius reſuſcitationem revolvatur, ſtabilivimus; quo ipſo nec Acidum heterogeneum, nec Fermentum aliquod connatum, ab aliis defendi ſolitum, negamus, aut excludimus, modò Hypotheſes illæ cum granô Salis declarentur & ſub Cauſæ Remotæ titulô vindicentur.

§. 33. Quid igitur impedit? quò minus Morbi hujus ferè univerſalis & frequentius Epidemii Maligni, Definitionem hiſce includamus cancellis: VARIOLÆ ſunt Morbus acutus, & (inprimis, ſi Epidemiæ ſeu pluribus unô tempore communes, ſæpiusque lethiferæ ſint,) malignus atque contagioſus, â Seminio verminoſo intrinſecô latente, in Uterô Maternô

nô collectô & poſt Partum auctô ac per varias occaſiones Fermenti inſtar, recrudeſcente ortum ſuum trahens atque in Puſtulis ſeu Exanthematibus vel Majoribus, vel MinoribusÄnioſis, in totô corpore aut plurimis ejus Partibus, tam internis, quam externis, erumpentibus conſiſtens, & cum Febre, ſæpiusque Petechiali aut aliâ malignâ, conjunctus.

§. 34. Nomen ſortiuntur, vel â Variando, quod Cutem varient, (165) vel, quod veritati magis accedere videtur, â Varis, ut quaſi Varorum figuram imitentur: (166) Dicuntur etiam Puſtulæ, â materiâ, quam fovent, purulentâ; (167) Papulæ ſeu Tubercula, ab

(165) Dolæus l. c. p. 111. (166) Dolæus l. c. Calepin. Lexic. ſub voce: Varus. (167) Faber. Lexic. p. m. 2075. ſub voce: Pus.

ab externâ formâ. (168) Græcis audiunt: ἐξανθέματα, ob efflorescentiam & rubedinem Cutis: Ἴονθοι, (169) vel, ἀπὸ τȣ̃ ὄνθȣ, â fimô, eò quod faciem deturpent ac fœdent, vel ἀπὸ τȣ̃ ἄνθȣ, â flore. (170) Germanis dicuntur: Die Blattern, Urschlechten, Pocken, Purpeln. Triplicis statuuntur generis: Aliæ enim continent materiam quandam serosam seu pellucidam, indeque nuncupantur: Pustulæ Aquosæ; Die Wasserblattern: Aliæ figuram seu faciem habent acuminatam, hinc appellatæ, Pustulæ acuminosæ; Die Spitzblattern: Aliæ prorumpunt instar pustularum & multâ sanie repletæ sunt ac dicuntur, Variolæ; die Kinder-Pocken, aut, si magis confluant, Plins-Pocken. Priores duæ sunt tantum Spuriae, unde & sæpius per vitam redeunt; Tertia verò Species pro veris habetur Variolis nec facilè plus quam semel tantum ægros invadit. De cæteris Variolae hæ nulli parcunt ætati, quamvis alii mitius, alii

(168) Faber l. c. p. m. 1821. sub voce: Papula.
(169) Calepinus l. c. (170) Conf. Blancardi Lexic. Medic. p. 348.

alii gravius, pro Symptomatum gradu vel majore vel minore, subinde torqueantur.

§. 35. Unicum hoc restat, ut moneamus, Varias Aëris Tempestates, nebulosas utplurimum ac pluviosas, dedisse ansam præcipuam Variolis Epidemiis Malignis Pomeranicis, quas bienniô abhinc grassatas esse memoravimus. Præterea enim, quod ex Ventis, solus Africus, quem procellis crebrum nuncupat Virgilius, (171) & pestilentem Horatius, (172) appellat, per integrum ferè biennium hisce in Oris primas tenuerit, immò fixam quasi sedem ibidem habuerit; certè Anni M DCC XVII^mi Æstas simul ac Autumnus in universum, ac ipsum Hyemis Principium, quamplurimis Pluviis erant gravia, quibus succedebat paulò post Initium Anni M DCC XVIII^vi. flante Boreâ, Frigus intensissimum, per trimestre ferè Spatium perdurans & d. 6. Non. Martii Eclipsi Solari satis magnâ adhuc notabilius: Unde, ob

G colli-

(171) Æneid. L. 1. v. 89. (172) L. 3. Od. 23.

colliquationem Humorum & reſolutionem Particularum Sulphureo-Salinarum Volatilium, Anno priori factam, in Acorem converſa & ad Putredinalem Fermentationem diſpoſita eſt Maſſa Sanguinea; ſicque non modò Seminium Verminoſum innatum, putredine hâc reſuſcitatum & adauctum, Variolis Portas aperuit omnes; ſed Purpuram etiam & Petechias introduxit; præcipuè quum Annos Humidos cum ſubſequô Aëre frigidô in Fructibus atque Leguminibus multiplicare Vermes, (quidni etiam, & multò magis quidem, in Homine?) obſervent Oeconomi accuratiores, & Corpora Humana multis ex cauſis ad Malignitatem aptiora reddere, nemo, qui veri Phyſici aut Medici Famam affectat, facile ibit inficias, (174) aut refragabitur.

CA-

(173) Conf. Hellvvig Calendar. Oecon. Pract. Perpet. p. 35. (174) Vid. de le Boë Sylvius Prax. Med. L. 4. Tract. 9. §. 48. 49. 50. 51. p. m. 892. ſ.

CAPUT III. THERAPEVTICUM.

§. 1.

CUm THERAPEIA, ex receptâ hactenus Sententiâ, duas potissimum requirat Partes: Hygieinen scilicet seu Diæteticam & Therapevsin ipsam; præmittenda erit Diætetica, quæ consistit in legitimô Rerum Sex, Non-Naturalium vulgò dictarum, Regimine.

§. 2. Ad hanc quoque Classem communiter refertur PROPHYLAXIS, quæ Morbos futuros & imminentes avertere conatur. Hinc quæstio jam suboritur admodum vexata & ab oppidò multis hactenus anxiè investigata: Anne possibile foret, ut â Variolarum, præsertim Epidemiarum, insultu præservari, vel, nî prorsus immunes

reddi, mitiore tamen Morbi, ejusque Symptomatum, Fatô beari valeant sani & ab istô Morbô liberi? Illustris Digby consilium utique suppeditat, sibi quidem Infallibile visum, de Sanguine in Funiculô Umbilicali post Partum retropellendô. Cujus tamen Experimenti Successum infidum & incertum suprà innuimus (175) atque Clarissimi Dolæi Calculum meritò allegavimus. (176) Ipse autem Dolæus insigniter commendat Liquorem suum Antivariolosum, quem tantæ virtutis esse gloriatur, ut spondere audeat, neminem inposterum Variolis mori posse, modò hôc utatur Medicamentô & calorem Lecti primis fugiat diebus; (177) cujus tamen abstrusi Arcani invidendæ ferè ac deplorandæ latebræ nostrum utique suspendunt Judicium & nil, nisi admirationem, relinquunt. Laudat præterea simul Myrrhata, v. g. Elixyr Proprietatis, Tincturam Salutis,

(175) Vid. Cap. 2. §. 18. (176) l. c. Part. II. p. 128. (177) l. c. p. 130.

lutis, & alia. (178) Doctissimus de le Boë Sylvius Purgantia & Alterantia pro præservatione Generali suadet; quæ Medicamenta omnia num omnibus Individuis promiscuè ac tutò quidem applicanda sint, aut optatum finem semper assequantur? dispiciant accuratiores Clinici. Ego sane Curam hanc meam non facerem. Magis tamen sibi consulere videntur, qui, â Variolis metuentes, nutui Sylviano adjecto obtemperant, &, præcipuè grassantibus Epidemiis, longius abituri, Aëremque Salubriorem electuri, perinde ut in Peste, aliisque Morbis Epidemiis Malignis, Brocardicum illud: Mox, Longè, Tardè, Cede, Recede, Redi: strictius observant, sicque Fugâ gravissimi hujus Morbi periculum, ad tempus certè, evitant. Nostram si liceat adjicere qualemcunque Experientiam, non parum Solatii adhuc inde persensimus, si, tempore Epidemiarum Malignarum Variolarum, sanos ab ægrorum, Morbô illô jam correptorum, Consortiô sollicite coërcuerimus & manè simul ac vesperi parvam Dosin Pulveris Bezoardici, ex Pulv.

(178) l. c. p. 138.

Bezoard. alb. Sennert. Epilept. Marchion. Antim. Diaphor. Bezoard. Mineral. Myrrhâ & Cinnab. Antim. cum pauxillô Camphoræ, compositi propinaverimus; quô solô Medicamentô, Divinâ adjuti ope, quamplurimos necessitudine Sanguineâ nobis junctos & alios, quamdiu Fata id ferant, hactenus aut immunitate & aliquali velut privilegiô, quoad Variolas, donavimus, aut mitiorem Morbi hujus post paucum Tempus ipsos infestantis Conditionem atque Statum conciliavimus.

§. 3. De reliquis, communi Practicorum Suffragiô, Aër, circa Diæteticam, in ipsô Variolarum Paroxysmo jam instante, eligatur ex calido temperatior; nec nimio æstu vel Cubiculi vel Lecti angantur Variolarum Candidati aut ægri ipsi, unde deplorandus est Muliercularum quarundam Rigor, quô Conclavia nimiô calore exaggerantes suffocant magis tenella Corpuscula & interimunt, quam sustinent: Frigidus autem, utpote qui Crisin Naturæ

turbat

turbat &, poros Cutis occludendô, ipsorum Exanthematum eruptionem impedit, ê contrariô arceatur, tam in principiô, quam in ipsâ Morbi Declinatione; eò quod recidivam facile ægris, restitutioni & Saluti proximis, conciliet, novosque quasi Morbo propemodum arefacto Surculos pariat. Mediô hinc tutissimè itur; ita tamen, ut magis ad calidam, quam frigidam Temperiem inclinet Aëris istius Moderatio. Circa Cibum & Potum, Caro quæcunque, Pisces, omnes Fructus horarii, Aromata, Salsa atque Acria fugiantur; ac Victus per totum Morbi Decursum sit tenuis: inprimis conducunt Juscula Avenacea & Hordeacea: Potus, qui pro extinguendâ, sæpè intolerabili, Siti non abnuendus prorsus est; modò limites Modestiæ non excedat; sit itidem tenuis: Cerevisia nempe Secundaria, cum Succô Citri vel Aurantiorum modice temperata; aut

Lac, utpote quod Solum ſacra Ruſticorum Anchora eſt; nec ſine applauſu; cum non tantum internam Masſæ Sanguineæ acrimoniam temperet, ſed Medicamentorum etiam, delicatulis alias injucundorum, vehiculo apprimè conducat; aut Decoctum Raſur. C. C. cum rad. Scorzoner. (admixtis quibusdam Aquis Deſtillatis, pro ægri cujuscunque & Symptomatum graviorum modulô,) cujus uſum, meâ quidem in Praxi, non ſatis deprædicare auſim: Muſtum & alia, minus defæcata Potulenta, immo Ipſum Vinum, quod alii admittunt, prorſus exulare mallem; quum ægros facile vel Oris ac Colli inflammationi, Sanguinisque acrimoniæ majori obnoxios inde factos vel Hæmorrhagiam frequentius pasſos fuisſe; omnimodô autem ejus uſu deſtitutos mitius longe ſeſe habuisſe, hactenus Studioſè obſervaverim. In Motu ac Quiete, moderata notetur Temperies, ita quidem, ut nec nimis anxiè in Lectô detineantur, ſed quandoque circumgeſtentur aut ſeſe moveant

Vario-

Variolosi, nec tamen in ipso Motu excedant, sed alternam requiem, sine quâ durabile nihil est, servent. Parile esto de Somno & Vigiliis Judicium, quarum æqua per vices successio utramque Sanitatis paginam factura est. In Excretorum ac Retentorum ordine servandô vel maximè sollicitus sit Medicus, nec auctæ Excretioni, utpote plerumque periculosiori &, ob colliquationem Humorum acrium aut turbatam Criticam Evacuationem, â Naturâ alias perficiendam, lethiferæ concedat veniam, sed pro viribus obicem ponat. Obstructioni autem nimiæ, pro prudentiâ suâ pariter succurrat, quamvis magis in hôc Morbô proficuum censeatur, alvum habere rigidiorem, quam liberam, summeque Solutam. Animi Pathemata ita dirigantur, ut Terror, quem sæpius Morbi hujus Auctorem primarium nuncupare cogimur, Cura, Tristitia, Mœror & alii Affectus, Corpori Humano nocivi, vitentur; in eorumque locum

ſubſtituatur Gaudium & Tranquillitas; quum animus pacatus, perinde ut in Peſte, Morbum ipſum vincat quaſi & ad miraculum usque ſubjuget.

§. 4. Circumſtantiis iſtis probè perpenſis, ad ipſam tandem Curam fit Progresſus, quam equidem levisſimam & Muliercularum ſæpè Opus esſe, Vulgus inanis & vanus ſibi perſuadet; Sed maximô plerumque cum damnô ſuô; Cum exaſciatum quoque Medicum Morbus hic non raro exerceat.

§. 5. Dum itaque tria potisſimum ſtatuuntur Variolarum Tempora; Primum ſibi vindicat, Initium Febrilis Invaſionis, Secundum dicatur Eruptioni & Suppurationi Puſtularum, Tertium, â Morbi Statu ad Finem ejusdem perdurans, Exareſcentiæ earum ac Decidentiæ Sacrum eſt. Undique verò Medicus magis Spectatorem agat & Naturæ ipſius veſtigia indivulſô tramite premens, eam blandè, quantum poteſt, paucisſimis Medicamentis ſufful-

suffulciat: quam ut Actoris Partes in se suscipiat & velociori cursu Naturam anticipare aut cogere, tandemque plané præcipitem dare velit, eò quod ex tali violentiâ frequentissimè æger in summum vitæ periculum, ob virium detrimentum, reducatur.

§. 6. Inchoant qnamplurimi non infimæ Sortis Medici Curam â Venæ Sectione, Purgantibus, Vomitoriis, aliisque ejusdem Generis Medicamentis Heroicis; â quorum tamen usu Alienos esse nos jubet Metus, ne in ipsô Principiô vires infectis subripiamus, successu temporis & in ipsô Morbi augmentô, ubi præsentia earum vel maximè desideratur, cum notabili vitæ discrimine defecturas nec tam facilè, ac spoliatæ erant, restituendas; quicquid etiam Dn. Schadius ex propriâ in Infantibus suis Experientiâ inde promittat: (178) Tanti enim pœnitere ego profectò non emerem. Melius proinde & tutius, nostrô quidem judiciô, illi faciunt, qui blandis Diaphoreticis, Bezoardicis

(178) Dolæus l. c. p. 128.

dicis &, ubi Epidemiarum Timor imminet, Alexipharmacis rem omnem ordiuntur. In hunc finem, Pulvere Bezoardico, ex Pulvere Bez. alb. Senn. Epilept. Marchion. Antim. Diaph. Bezoard. Mineral. Myrrh. Cinnab. Antimon. & Nitrô depuratô, (adjunctis, si Epilepsia metuebatur, aliquot Guttis Ol. Rut.) usi sumus, eundemque in Potiunculâ, ex Decoct. Ras. C.C. c. Rad. Scorzon. Aquâ Scabios. Scord. Card. bened. Aquileg. Plantagin. edulcoratâ cum Syr. de Cinnam. (pro refocillandis viribus) Acetosit. Citr. (pro temperando æstu) & Papav. Rhæad. (pro Orgasmô Archæi sedando & blandâ quiete conciliandâ) semel vel bis de die propinavimus; intercalatâ Essent. Myrrh. mixtâ cum Essent. Alexipharmacâ D. D. Stahlii. Præprimis succum Stercoris Ovilli (ob latitantem virtutem Nitrosam) expressum & cum Lacte exhibitum non contemnendi usûs fuisse deprehendimus. In Gulæ & Gutturis Affectibus, quorum tunc maximè habenda est ratio, Lac Calidum cum Ra-

dice

dice Liquirit. coctum, vel etiam Cerevisiam Secundariam aliquantulum edulcoratam & calefactam, ubi opus, locô Gargarismatis adhibuimus. Decoctum enim Ficuum aut alia dulcia, internè usurpari & ab aliis præscribi solita, vix admittenda esse judicavimus, ne Alvi Fluxus, maximè nocivus & Crisin Morbi impediens, promoveatur inde. Sic ad diem usque 5tum vel 6tum continuavimus, factâ tunc plerumque Eruptione. In nimiâ Alvi adstrictione Decoctum Tamarindorum cum Fol. S. S. St. proficuum rati sumus. A Clysmatibus enim ob suscipionem eventuri profluvii majoris & alia incommoda, quantum possibile fuit, abhorruimus. In nimiô Alvi fluxu, ubi Summa id postulabat necessitas, unum vel alterum granum Laudani Opiati Pulveri Bezoardico aut Dysenterico addidimus, magnâ tamen cum circumspectione, quoniam Opiata, præcipuè sub Initium Morbi, vel maximè suspecta esse arbitremur, utpote quæ, Spiritus Ani-

Animales ligandô & ſtupefaciendo, Naturamque â Secretione Humorum noxiorum & expulſione â Centro ad Peripheriam arcendo, non tantum in Variolis, ſed pluribus etiam aliis Morbis, præcipuè tamen Calculo, (179) funeſtum pariunt exitum.

§. 7. Atque ſic pedem promovimus ad Tempus 2dum, quod Eruptionis Complemento & Suppurationi Puſtularum dicabatur: in eôque Naturæ Curſum blandius ſequendô, meris ſæpè Amaris & præprimis quidem Esſentiâ Myrrhæ & Alexipharmacâ Stahlii, adjectâ quandoque, ob nimium calorem, Esſent. Succini cum Liqu. Nitr. fix. ritè paratâ, rem totam reſtituimus & usque ad diem 14tum continuavimus. Oculos vel Lacte Muliebri cum Aquâ Roſarum & pauxillô Croci Orient. mixtô, inſtar Cataplasmatis, defendimus; vel Aurum ipſis ſuperimpoſuimus, cujus virtus inſigniter eluxit; Nec idem tantum Hominibus commendatur, ſed Ovibus etiam, puſtuloſo Mor-

(179) Vid. Weisbach. l. c. p. 232. 236.

Morbo laborantibus (wenn sie die Pocken haben) non parum Salutis affert, si super illud bibant; indeque non absurdum est, ut Infantibus Variolosis, locô Amuleti, Moneta Aurea â cervice dependeat. Ipsarum Pustularum rigiditatem, tam in Facie, quam Naribus & Auribus indeque factâ earum intumescentiâ, Oleô Amygdalarum dulcium aut Ovorum illito temperavimus. Atque sic per vices Aquam quandam Cordialem cum Confect. de Hyacinthô junctam ægris propinandô, residuum Curationis Opus Naturæ transmisimus. Reliqua & graviora Symptomata, nempe Ptyalismum, Phrenitidem, Suffocationis Prodromum (in quô casu Emeticum suadet Dn. Sydenhamius, quod an imitari tunc Medicum circumspectum oporteat, hæsito) Maculas purpureas, Mictionem cruentam, Coma, Gangrænam Maxillæ præcipuè Inferioris, Urinæ Suppressionem (quæ, ob Renum, Ureterum ac Vesicæ obstructionem & enatam in-

inflammationem funesta esse solet)! & Febres post exantlatum Variolarum Morbum recurrentes, Prudens Medicus pro Symptomatis cujusvis (maximâ ex parte lethiferi) & ipsius ægri circumstantiâ juxta Morbi ipsius Analogismum eâ, quâ par est, dexteritate tractabit; cum pagellarum harum Angustia prolixum Consilium recuset; res etiam sint, quæ aliud omninò Forum spectent.

§. 8. Restat adhuc Tempus Tertium, Exarescentiæ & Decidentiæ Sacrum: Post diem itaque 14tum termino Morbi feliciori intenti, Elixyr proprietatis cum Essent. Cinnam. aut Balsamô vitæ mixtum vel, pro exigentiâ rei, Elixyr Vitriol. Mynsicht (pro Stomachô confortando) porrigi jussimus nec Purgans quoddam lenius ex Extract. Panchymag. Croll. & Merc. dulc. â quibusdam pro averruncandis Morbi Reliquiis atque viscositatibus commendatum, improbamus. Ad Maculas & Rubedinem tollendas, (quæ, ex Observatione Sylvii, (180) Si

(180) l. c. §. 51. p. 135.

Si Vere aut primâ æstate prodeant Variolæ, eâdem æstate disparere solent; Sin Autumni tempore contingant, totam ferè hyemem edurare ac subsequenti demum æstate evanescere consueverunt,) Solennis est Aqua â Dolæo (181) præscripta, ex Aqu. Spermat. ran. Sigill. Salomon. Lil. alb. Fl. Fabar. Unc. 1. Fœcul. Aron. dr. 1. Camphor. Scr. ss. Ol. Tart. dr. 1. ss. Cosmetic. Clav. Scr. j. Aut etiam, si solo Unguento Camphorato facies inungatur.

§. 9. Coronidis loco delicatulis & elegantioris Formæ Studiosis, præcipuè adultis, Virginibus Variolosis, Medicamentum aliquod pro præcavendis aut delendis Fossulis post Variolarum decidentiam, communiter faciem, alias pulchram atque politam, defœdantibus, libenter exquireremus; modò Effectus certus Voluntati responderet. Varias interim Formularum Species selectui ipsarum sistemus. Dolæus (182) sua.

(181) l. c. p. 138. (182) l. c.

ſuadet, ut, initio prorumpentium Variolarum, facies ſtatim illinatur Spiritu Vini Myrrhato, iteratis ſæpè per biduum vicibus; hinc præterlapſô duorum dierum Spatiô, Saccharum Saturni cum Aquâ Roſar. mixtum, Linteaminibus intinctis, faciei frequenter applicetur, vel pennâ oblinatur. Jackſon (183) faciem Oleô Amygdal. dulc. vel Cremore Lactis, commixtô pollini ſubtilisſimo Praſii recentis optimè ſiccato & in formam Unguenti redactô ungere jubet ac eô tempore quidem, quando puſtulæ duriusculæ evaſerint, utpote quod non modò Cutis pruritum ſed & deformitatem ejusdem impediat. Baglivius & Bateus (184) Unguentum ex Ol. Amygd. dulc. Unc. 2. Spermat. Cet. dr. 3. & Ol. ſtillat. L. Rhod. gutt. 4. pro remediô peculiari revelant. Digby (185) Oleum Lactis: Forbigerus (186) Oleum Ovorum: Welſchius (187) Oleum & Balſamum Roſmarini aut Decoctum ex Flor. Roſar. & Fabarum ac Furfure, aut Adipem Porcinam cum Aquâ Roſarum

(183) l. c. p. 152. (184) gelehrten Medic. p. 564. (185) Medicin. Experimental Digbæan. P. 2. p. 7. (186) Vernünfftigen Medic. p. 252. (187) Annotat. ad Scipion. Mercurii La Commare p. 742.

ſarum ablutam deprædicant. Benzius (188) magnis effert laudibus Decoctum Lupinorum aut Liquorem deſtillatum Tartari uſti, quô ſi madefiat manè & veſperi facies, Spem numquam fore inanem promittit. Meurdrac (189) commendat Aquam ex Rad. Cucumeris Aſinini, Ireos noſtratis, Althææ, Lilior. alb. Uvis recentibus; Fol. Fabar. & Parietar. Flor. Nymph. & Malvæ, Micâ Panis Hordeacei, Rapâ in Fruſtula diſciſſà, cum Vinô, Lacte & Urinâ Puellæ ſanæ deſtillatam; aut ſequentia Cosmetica rariora. 1mum eſt: Rec. Carnis Vitulinæ vel Vervecinæ, (abſumptâ prius pinguedine,) ana libr. 1. Pullorum gallinaceorum anteà deplumatorum & ab omni ſorde benè repurgatorum, No. 2. Conciſis hiſce minutim, Add. Sanguin. Leporin. Aquæ Flor. Fabar. Nymphææ, Sedi maj. Vini albi ãã. libr. ſſ. Roris Majalis, libr. 2. Sem. 4. frig. maj. ana dr. 2. Ol. papav. alb. dr. ſſ. Fell. Bubul. Unc. 3. Sem. Eruc. dr. 2. Succi Citri, Pomi unius: Pomorum dulcium conciſorum No. 4. Camphor. Unc. ſſ. Virid. Æris Scr. 1. Spermat. Cet. Unc. ſſ. Borrac. Venet. Sacch. alb. ana Unc. 1. Mell. virgin.

(188) Theſaur. Proceſſ. Chymic. p. 40. (189) Mitleidende und leichte Chymie p. 265.

Unc. ss. Album. Ovor. No. 4. Destillentur per Alembicum: Add. Talci, libr. 1. Serventur in Vitrô optimè clausô, quô mane & vesperi ungatur Facies & pannô Coccineô abstergatur: cujus Aquæ virtutes Liquori Talci pretioso præfert; præcipuè si ante destillationem Mica panis triticei; post destillationem verò Saccharum & Olei Tartar. per deliqu. drachm. 2. adjiciantur ac per 14. dies in Digestione serventur. (190) 2dum est: Rec. Nivis, Mense Martiô collectæ q. v. Liquefiat & vitrum usque ad dimidiam Partem adimpleatur (Si enim totum vitrum repleas, statim illud dissilire monet) Hujus Aquæ Niveæ cape libr. 2. Sacchar. Cand. Unc. 1. Talci Unc. 4. Stent in Digestione per Trimestre Spatium, vitrô bene clausô. Coletur, atque Aquâ hâc facies abluatur. (191) 3tium est: Rec. Carnis vitulin. totum Femur (eine gantze Hinterkeule.) Assetur modô ordinariô & inter assandum hinc & inde perforetur, ita ut Succus probè effluat; qui postquam refrixerit, remotâ pinguedine, curiosè servetur. Cape hujus Succi Cochlear. 4. cui add. Lactis Dosin anaticam. Sanguin. Columbin. Cochlear. 2. Aquæ Plantagin. acut. Cochl. 5. Probè mixta & pistillô agitata omnia

(190) l. c. p. 331. (191) p. 332.

omnia redigantur in Linimentum, quô, post eruptionem *Pustularum*, facies ter vel quater de die calidè ungatur & siccescat; cujus continuus usus ad decidentiam Pustularum extensus fossulas impedire sanctè recipit. (192) Helvvigius Oleum ex Nucibus Juglandibus antiquis contusis, expressum & arescentibus Pustulis quotidie per vices illitum & ad plenariæ earum decidentiæ tempus continuatum; aut Farinam Oryzæ tostæ pustulis instratam; aut Crocum Oriental. cum Aquâ Rosarum mixtum & pennâ sæpius illitum, extollit. (193) Obscœnum est, Spurcum, Onaniticum atque impium, quod omnem implevisse paginam Scipio Mercurius, Italus, ex propriâ, ut ait, Experientiâ testatur; (194) Sperma scilicet Humanum, pustulis inunctum; quæ tamen res sicut Christiano maximè indigna, ita abominabilis certè & detestanda est; unde miror, Dn. D. Welschium (qui ex idiomate Italico in Linguam vernaculam Librum

 illum

(192) l. c. p. 333. (193) Armeereute Haus Medico p. 212. f. (194) La Commare p. 740.

illum transtulit) Virum, alias pietate Conspicuum, istius Loci memoriam omnem non delevisse nec typis exscribi planè injustum judicasse: Magis approbanda foret inunctio Pinguedinis Ursi vel Hominis, cujus usum pariter inculcat, nisi delicati quoque ægri ultimum hocce Medicamentum reformident. Quod superest, ne Invidiæ Crimen incurrere videar, illud arcanum, quod mihi a Persona quadam Illustri vel maximè deprædicatum est, agmen claudet. Scilicet: Rec. Succcidiam; & rescinde totam cutem: Deinde frustum aliquod orbiculatum, sed admodum tenue, (folii papaveris magnitudine) Lardi ipsius ab ipsâ Suecidiâ separa: Infunde Aquam Fontanam, eamque semper renova; donec omnis Sapor salinus penitus extractus sit; Tunc impone illud faciei Variolosæ & post breve tempus, quasi torrefactum apparebit; quô rejecto, novum applica, tamdiu continuando, quousque satis tibi visum fuerit: Ipsæ verò pustulæ prius acu aureâ aperiendæ sunt. Omnia probanda & meliora retinenda sunt.

§. 10. Atque hæ sunt qualescun-

que

que meæ de Naturâ & Causâ Variolarum, ac inprimis Epidemiarum Malignarum, Meditationes; quas nemini obtrudo, sed Eruditi Orbis Clinici benevolo Judicio, eâ quâ par est, Observantiâ submitto. Procul hinc sint Stulti Zoili, qui nihil rectum nisi quod ipsorum Moribus atque Neniis conveniat, putant. De Cordatis autem & Veritatis studiosis non dubito, fore plerosque, qui infucatam mentem meam, altius in abstrusum huncce Morbum inquirendi & ad sequelam alios animandi desiderio flagrantem, æstimaturi sint. Arduum fuit, quod molitus sum; Hinc vitio mihi nemo facilè vertet, si in Magnis quoque erraverim: Cum enim Homo sim, humani sanè nihil â me alienum puto.

SOLI DEO GLORIA.



INDEX,
RERUM PRÆCIPUARUM.

Em-

Ovum,

Semen,

Vege-

Ver-



ERRATA graviora & ADDENDA:

Pag. 7. lin. 22. pro Malthiolus, leg. Matthiolus. p. 15. lin. 20. pro petrantis, lege penetrantis. p. 23. lin. 9. pro SEMEJOLOGICO, lege, SEMEIOLOGICO. p. 36. lin. 22. pro imptoviso, leg. improviso. p. 44. lin. 25. pro. Præternaturabilibus. leg. Præternaturalibus. p. 72. lin. 24. post, 352. leg. Conf. etiam Blancardi belägerte und entsezte Venus, p. 25. pag. 73 lin. 15 post, notaverint, leg. 126. lin. 27. post, 148. Blancard. beläg. und entsezte Venus l. c. p. 97. lin. 15. pro MDCↃCXVIImi lege, MDCCXVIImi lin. 19. pro MDCↃCVIIIvi lege MDCCXVIIIvi.

Reliqua B. L. pro Benignitate suâ corriget.

